TRANSACTIONES DIABOLICÆ,

UBI

OMNIA MALORUM SPIRITUUM,

QUÆ NUNC

VENIUNT IN CONTENTIONEM,

CITRA GRATIAM, CLAMOREM,

ODIUM COMPONUNTUR.

IN USUS PAROCHORUM

SCRIPSIT

Dr. JOS. ANT. WEISSENBACH,

CANONICUS DURAQUENSIS.


Permissu Superiorum.

BASILEÆ,

Typis EMANUELIS THURNEYSEN, 1786.

Num quid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est?

S. AUGUSTINUS *Libro de Dono Perseverantiæ cap.* 14.



ANTONIO

WOHNLICH,

CIVITATIS LAUFFENBURGENSIS

PAROCHO,

VICINO, SODALI,

CONDISCIPULO,

ATQUE ADEO

AB INEUNTE ÆTATE FAMILIARI,

ET NECESSARIO SUO

AMORIS, AC CONSUETUDINIS

MONUMENTUM

HOC DICAT

JOSEPHUS ANTONIUS WEISSENBACH.

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

SCRIPTA fuit hæc Diſſertatio, quando *Biblicis* in *Prælectionibus* examinavi *Caput primum*, & *ſecundum* JOBI; ubi legitur, diabolum, dempta vita, in rem familiarem, liberos, imo corpus, & animum viri ſancti habuiſſe plenam poteſtatem.

Cum vero, ut ſolet, ob materiæ copiam excreviſſet, ſeorſim extra ordinem *Quæſtionum* edendam putavi.

Multa autem complectitur minime obvia, ac etiam doctis hominibus raro audita. Nec enim contentus generalibus expendendis ſingulatim quæro, quæ ſit poteſtas Spirituum in elementa, omnem-

que materiam? in plantas, ac nutritionem? in organa, phantaſiam, & animas brutorum? an poſſint producere animalia ſive perfecta, ſive imperfecta? quæ vis eorum in ſenſus, in affectus, in facultates animæ? an poſſint invitis extorquere verba, riſum, lacrimas? an impedire, vel promovere generationem, formare fœtum, mutare ſexum? an poſſint corpus hominis ſubducere oculis, ſervare illæſum a vulnere? an tollere vel inducere morbos, contrahere, & producere vitam? an gignere hominem? an hominem in beſtiam, beſtiam in hominem vertere? an animam ſeparatam reddere corpori? an per ſeſe excitare cogitationes, motioneſque animi? an aliquem *habitum*, ut dicunt, ſive ſcientiam infundere? an hominibus fieri familiares? an illos inſidere, cogere ad malum? an cognoſcere arcanas cogitationes? an prædicere futura? an ſcire, ac prodere, quæ procul contingunt? &c.

Itaque varia hic de *mutatione*, *translatione*, *penetratione*, *assumptione*, *replicatione* corporum: de *infestatione*, & *maleficiis*: de commercio cum *Incubis*, & *Succubis*: de *prædictionibus*, *oraculis*, ceteraque *divinatione*: de *imperio* in *Dæmones*: de modo quem tenent in *tentando*: de *amuletis*, aliisque rebus, quæ vulgo putant in dæmones valere: de *pactis magicis*, eorumque *solutione*: de optima *ratione* dæmonibus *resistendi*: de iis, qui *magis patent insidiis* diabolicis &c.

Id unum moneo, omnia strictim percurri, uti mos est in Summariis, sive Prælectionibus. Nam & istic reputavi cum animo meo, homines minus eruditos vel in hunc modum habituros satis ad liberalem institutionem; doctos autem ex libris, quos allegavi, posse proprio Marte ea petere, quæ verbis, exemplisque ampliata mallent. Vale, & hos conatus nostros æqui ut decet, bonique

consule. Sunt enim, opinor, haud paulo utiliores iis, quæ olim Theologi de Angelorum *existentia in loco*, deinde de *motu*, *differentia*, *ævo*, *cognitione*, *sermone* versantes volumina vastissima inserserunt; duplici ex capite culpandi, *primo*, quod inutilia operosissime perscrutati sunt; *secundo*, quod hanc potestatem, ac limites ejus fere dimiserunt, etsi maximi sit usus, & lucem innumeris rebus clarissimam affundat.

CONSPECTUS
ET
OECONOMIA OPUSCULI.

PARS I.

TRANSACTIONES DIABOLICÆ GENERALES.

Transactio I.

Sunt Spiritus vere tales, qui nihil habent cum materia commune. Quod docet natura Dei, & animæ nostræ.

Transactio II.

Dantur & alii Spiritus, Deo inferiores, & anima nostra superiores.

Transactio III.

Neque boni solum, sed etiam mali.

Transactio IV.

Spiritus universe habent varias, & eximias facultates.

Transactio V.

Verum limitatas; cum res sint conditæ. Eadem de causa miraculum edere nullum possunt:

Transactio VI.

Sed nec illas cognatas facultates exercere sine jussu, permissuve Dei.

Transactio VII.

Etiam mali Spiritus suas dotes, viresque retinuerunt.

Transactio VIII.

Imo Deus hos sæpe nobis permisit nocere;

Transactio IX.

Minus tamen in Nova, quam in Veteri lege.

PARS II.

TRANSACTIONES DIABOLICÆ PECULIARES.

Transactio I.

Nominatim permisit Deus, ut mali Spiritus corpora hominum insiderent.

Transactio II.

Etsi vero per se ipsi possint nocere, non sequitur inde, quod etiam per alios possint. Quare Magia, ope dæmonis mira præstans, nec est de Fide, nec habet indubitatam rationem.

Transactio III.

Opinioni tamen, quæ nullo discrimine has artes pro fabulis habet, non convenit satis cum dictis sacrarum litterarum.

Transactio IV.

Sed etiam historicam fidem sollicitat vehementer.

Transactio V.

Rationes Magiam omnem tollentes non sunt invictæ, & cum testimoniis Scripturæ, totiusque antiquitatis vix possunt in contentionem venire.

Transactio VI.

Loquor autem de Magia veterum, sive Gentilium, sive Hebræorum. Quod si viguit olim, inferre non licet, quod etiam in Ecclesiam repererit aditum.

Transactio VII.

Imo sunt rationes satis graves, quæ Novum Testamentum eximant a tanto malo.

Transactio VIII.

Quod si penitius hæ rationes inspiciantur, Magiam nunc raram, non nullam ostendunt. Ergo nimium probant, nec adhibentur ut decet.

Transactio IX.

Sententiis Patrum non conficitur hoc negotium.

Transactio X.

Audiendi ſunt tamen, eoque magis audiendi, quod modeſtius tractant argumentum, quam Scriptores hodierni.

Transactio XI.

Hi vero tria docent. *Primo* fuiſſe quamdam artem, quæ ope diaboli mira præſtaret. *Secundo* hujus effectus nec omnes hiſtrionicos, nec omnes veros fuiſſe. *Tertio* non abolitam prorſus in Novo Teſtamento, verum coërcitam valde. *Quarto* privatam nunc raro, publicam nunquam permitti.

Transactio XII.

Etiam uſus Eccleſiarum ſtat pro iſta moderatione.

Transactio XIII.

Canones item, & Decreta Pontificum.

Transactio XIV.

Judicia ſuperiore ſæculo in ſagas exercita videntur vitiis multis laboraſſe; imo pleræque harum mulierum prorſus inſontes ſunt rogo addictæ.

Transactio XV.

Et tamen iidem, quorum operâ ſublata ſunt, perſuaſi erant, revera in mundo vel apud Chriſtianos veneficiis locum eſſe.

Transactio XVI.

Sagarum orgia, ac conventus nocturni non habent pro ſe idoneum teſtem. Paulo pronior hic fuit humana credulitas; quæ cum multum poſſit in animos, in rebus portentoſis vulgo plane illudit. Igitur quæ ſcripta de his fuerunt, juxta cum fabuloſiſſimis fabuloſa ſunt.

Transactio XVII.

Vanum eſt diſceptare, quæ opinio de Magia ſit utilior in publicum. Non enim id agitur in rebus facti. Imo ſi ageretur, etiam hoc ex capite pro noſtra ſtandum foret. Videtur enim expedire, ut homines communiant ſe adverſum miniſtros Diaboli, reddanturque cautiores.

Transſactio XVIII.

Illi, qui Magicas artes, etiam in Vetere Teſtamento pro ludibrio ſenſuum habent, argumento a Chriſti victoria, quod eſt præcipuum contra nos, abſtinere deinceps debent.

CLAUSULA probe notanda.

PARS III.

CONSECTARIA TRANSACTIONUM DIABOLICARUM, TAM GENERALIUM, QUAM PECULIARIUM.

Caput I.

Conſectaria poteſtatis Spirituum in inanima.

Caput II.

Conſectaria poteſtatis Spirituum in viventia.

Caput III.

Conſectaria poteſtatis Spirituum in animas ſeorſim.

Caput IV.

Conſectaria poteſtatis Spirituum in futura, in occulta, in remota; ubi curate de auguriis, prædictionibus &c.

Sequuntur duo APPENDICES; & primus quidem

DOCUMENTORUM, quæ ſint magno uſui de poteſtate Spirituum reſcire cupientibus;

Secundus AUCTORUM, qui hic raro citati, verum ſæpe conſulti, inter ſe collati, recenſiti, Illuſtrati, quin etiam caſtigati fuerunt.

PARS I.

TRANSACTIONES DIABOLICÆ GENERALES.



TRANSACTIO I.

NON omnia quæ exiſtunt, corpora ſunt. Dantur & Spiritus veri nominis, intelligentiſſimi, fugientes omnem ſenſum, compoſitionis expertes, & quibus cum materia ſit nihil commune. * *Spirituum exiſtentia ;*

Id ita habere ſe oſtendit *Deus ;* qui eſt ſupremus, ac eminens Spiritus. Nam æternæ menti, quæ limites non habet, nemo ſanus materiam tribuet.

Præter Deum datur *Anima* noſtra ; conſerta quidem, & adſtricta corpori, contra quam Deus ; qui ſibi ſufficiens ſolus, a materia pendere nullatenus poteſt. Sed nec anima per illam ſocietatem a materia quid trahit : & cum omnia in corporeis efficiantur intervallis locorum, motibus, ac viribus, quæ lege neceſſaria ad diſtantias mutandas, ſervandaſque determinent ; hic omnia contraria. Sentit enim ſe mens moveri, & quidem vi ſua, non aliena ; ut habeat in poteſtate actionis telam abrumpere, novamque ordiri ſine ullo extrinſeco impulſu.

---

* Equidem Cowardus, & Dodwellus *Spiritum materialem* ex ipſis litteris ſacris erutum ibant ; ſed ille conatus tam infelix fuit, ut dicerent doctiſſimi viri, velle eos in gratiam craſſi dogmatis renuntiari apertiſſimis, ac decretoriis locis hac ſola de cauſa, ut obſcuris quibus abuti poſſint.

TRANSACTIO II.

Dantur & alii Spiritus, Deo inferiores, & anima ſuperiores; quos eſſe a Deo conditos oſtendunt multi & auctoritatibus Scripturæ, & momentis rationum. Breviter illa pro more adſtrinxi in *Nova Forma Theologiæ Biblicæ his temporibus accommodatæ* Libro I. *Quæſtione* 5. Neque video, quid opponi his poſſit a Philoſopho; nam cum illis, quos dicunt Materialiſtas, hîc nolim tranſigere.

TRANSACTIO III.

etiam malorum.

Non boni ſolum Spiritus, ſed etiam mali dantur. Quod minime ex ratione conficio; nec enim poſſum; verum ex teſtimoniis, quæ ipſum Evangelium quamplurima miniſtrat. Sunt autem ſole clariora. Et velim hæc probe notari, quando multi ſunt hac ætate, qui Satanam ex ipſis inferis pellant. Et quidem Sociniani (quorum Eccleſia facit magnos proceſſus) ſimpliciter negant Diabolum eſſe. Hos inter SEMLERUS tantopere pugnat, ut ceteris videatur ducem ſe præbere.

Noviſſimi conatus Adamoniſtarum.

Porro in abrogando Dæmone ſibi plus ſumunt, longiuſque progrediuntur, quam ipſi Apoſtoli; de quibus nil tale ſive in *Actis*, ſive Epiſtolis perhibetur. Quin ipſum Servatorem ſuperant, diſcipuli ſupra magiſtrum. Et ille quidem, cujus fuit hoc proprium inſtitutum, ut aſſumpta conditione noſtra imperium Diaboli everteret funditus, præjudicatam opinionem de exiſtentia ejus Hæbræis non exemit. Quid quod illam nec imminuit

minuit aliquando, non impugnavit, non inter dicendum vel verbulo displicere sibi ostendit. Perdite nunc si unquam Diabole! cum flagres communi odio, vix non ad tui miserationem me inflectis. Nec enim jam cornibus instructus es, aut unguem, dentesque exeris, aut serpentis post te caudam trahis. His te omnibus spoliarunt novi Theologi; ut nil supersit tui præter nomen, aut imaginem, cui pueri jam & pueræ illudant. Nempe idem nunc sonas, ac malum generatim acceptum, & velut personam indutum. Nam in scenis quælibet *Abstracta*, imo *Negationes* pro licentia fingendi in viros, & fœminas migrant nullo negotio. Quod si tibi persona non quadret, ad morbos confugiunt, vel atram bilem; ut expellere te sit abigere morbum, vel mittere noxium sanguinem, pravosque humores secernere. *Tentas* vero, cum affectus, cognati nobis, exerunt vim suam, nosque inducunt ad peccatum quoddam. Tantum debes sapientiæ hodiernæ. AUCTOR *Concordiæ Rationis*, & *Fidei*, cujus est in scribendo projecta audacia, cum sit SEMLERO antiquior, in loco nunc excitandus est. Ait autem pag. 8. *Quæ de Angelis, & dæmonibus tam in sacra Scriptura quam Historia humana traduntur, sunt partim somnia, partim visiones, sive apparitiones: partim phantasmata, partim morbi, partim figmenta, & illusiones. Sæpius quoque ideæ hominis bonæ pro Angelis, malæ pro dæmonibus accipiuntur, vel ex falsa persuasione, vel ex superstitione, & metu. Diabolus nil aliud in Ethica, quam pertinacia in damnum proprium, vel alienum agendi absque illecebris carnis, vel mundi, sive gloriæ vanæ, quæ omnium idearum est pessima.* Eodem modo

rem explicat DAVID GEORGII, pluresque alii Adæmonistarum. Contra quos ita statuo:

Quam adversi Scripturæ, & quam ridiculi.

Vel est aperte Scripturis insultandum, vel diabolus non est in cerebro humano natus, verum re ipsa existit. Non hic allego locos Antiqui Fœderis; Novum abunde sufficit. Si SEMLERUS de Diabolo rite pronuntiat, JESUS ductus est in solitudinem, ut tentaretur ab *allegoria:* ab *imagine mali* vectus per aërem, & statutus super pinnaculum templi: Sublatus a *pertinacia* in montem excelsum; ut videret regna mundi, & gloriam eorum. Idem *phantasma* Servatoris hæc omnia daturum se promisit, ab illo adorari voluit &c. Rursum si dæmones expulsi designant *morbos*, CHRISTUS jussit morbum obmutescere, & exire: CHRISTUS in principe morborum fertur morbos ejicere: morbus mutus est: morbi loquuntur: legio morborum occupat hominem, rogatque elata voce, ut detur sibi in gregem porcorum migrare: morbus ab homine exiens perambulat solitudinem, quærens requiem, nec inveniens; assumit secum septem alios morbos, nequiores se &c. Quæ si admittimus, Evangelium Christi nec hilum differt a *Corano* MAHOMETIS, scatetque anilibus ineptiis.

Neque omitti debet, quod Evangelista, enumerans miracula Dei hominis, eodem loco de *obsessis*, & *male habentibus* mentionem facit; & inter duo genera distinguens, quæ utique non idem significant, aperte distinguit. * Christus

* *Lucæ* 4. 40-41: item 6. 18-19. *Marci* 1. 34.

quoque, cum parabolam loliorum transtulit ad rem ipsam, dicens, agrum esse mundum, Zizania homines malos, inimicum, qui lolia sevisset, diabolum, non utique in parabola parabolam novam venditavit: ejusque verba aliud volunt, quam *inimicus homo est inimicus homo.* * Sed nolo abuti tempore, bonasque horas insumere in nugis proterendis. Narrationes Evangelicæ servant eandem phrasin historicam, quam adhibent in ceteris sententiis: nulla subest præteritio, dissimulatio nulla; verum omnis doctrina habet tantam simplicitatem, ut connexio rerum, ac verborum tollatur, allegoricum dæmonem statuendo.

Dicent adversarii, non esse de fide, quod dæmon re ipsa existat.

Respondeo. Si istud non est de fide, non video, quid aliud sit. Evangelii testimonia cum sint divina, Christianis quibusque esse sacra debent, ac sumi eodem sensu, quem præferunt; dum ex serie narrationis, vel locis aliis evidentibus, vel apertissima absurditate, quæ adversetur omni rationi, cogantur discedere *a litera.* Et quidem hos locos Doctores Ecclesiæ universi sive prisci, sive recentiores, nec uno dempto, constanter *litterali* sensu acceperunt: atque ita sunt locuti, ut pateat manifeste, naturam dæmonis verissimam cum doctrinis Evangelii præcipuis, cum *Satisfactione*, & *divinitate Christi*, cum *peccato originis*, cum *suppliciis damnatorum* esse connexam. Porro tam unanimis sensus, quem nemo negat, debet identidem notari in hoc ar-

* *Matthæi cap.* 13.

gumento; nec enim fas eſt, homines cordatos in favorem petulantium ingeniorum auctoritatem tantam deridiculo habere; præſertim ſi ex penu rationis nil expromunt, quam conjecturas, ſacrumque codicem detorquent miſerrimum in modum.

Cornutum argumentum. Sed progredior ad novum argumentum, præclarum illud & nobile, quod KÖSTERO debemus. Si doctrina de diabolo fallit, vel nocivus eſt error, vel non? Si nocivus, Servator, ejuſque Apoſtoli egerunt peſſime, cum illum probarent, firmarent, propagarent. Si non eſt nocivus, Adæmoniſtæ nec ſibi, nec aliis conſulunt, quod tanto molimine, tot clamoribus inveteratam, communemque opinionem eximere mortalibus volunt; & quidem citra ullam indubitatam, ac firmiſſimam rationem. Oportebat enim ut verterentur ad errores alios, qui certiſſime nunc nocent, profligandos; præſertim ubi major ſpes ſecundi eventus, quam hîc, affulget.

Effugia. *Dicunt autem.* Chriſtus, & Apoſtoli populari dementiæ accommodarunt ſeſe, & non tam diabolo, quam genti pervicaciſſimæ parcendum exiſtimarunt.

Reſpondeo. Simulatio non convenit Servatori, qui ſe *veritatem* appellavit. Quod ſi inficiantur adverſarii, nam hunc ſolum receptum habent, cur neglecto exemplo ejus nos Chriſtianos, qui opinionem hanc pertinacia non minore, quam Judæi, tuemur, modis omnibus compellunt ad mentem mutandam? Cur hominum magnam partem abſque ullo emolumento in ſe concitantes turbant rempublicam? An peccare ſe putant fa-

ciendo, quod ille fecit? An decuit hunc timere eos, quorum legem abrogatum ibat? Sed neque credibile eſt, Dæmonem Judæis magis cordi fuiſſe, quam Legem; præſertim quod Secta inter eos haud ignobilis, Sadducæorum, ſpiritum omnem, ſive malum, ſive bonum præfracte negaret. Certe adverſarios illorum Phariſæos non palpabat hac arte ſimulandi; ſecus offenſionem eorum non toties data opera incurriſſet. Uno verbo, Servator in docendo ſus deque debuit habere præjudicatas opiniones; nam venerat, ut *perhiberet teſtimonium veritati*; neque deerant ei præſidia etiam maxime pervicacibus hanc perſuadendi.

Dicunt ſecundo. Hic error ſaltem ætate Chriſti innocuus fuit; unde nulla neceſſitas illius oppugnandi.

Reſpondeo. Cur ergo nunc ſit nocuus? & quæ neceſſitas docendi aliter, quam Chriſtus docebat?

Dicunt tertio. Si Chriſtus in illa barbarie, ac pervicacia diabolum ſuſtuliſſet, populum univerſum a ſua doctrina averſurus erat.

Reſpondeo 1. Homines nunc non minus offenduntur tam inſolenti opinione. Itaque nec hodie conſultum, popularem hunc errorem inſectari.

Reſpondeo 2. An opinio hæc tam amœna, tam commoda eſt, ut nulla tum ſpes eſſet, illius tollendæ. Potuit Ethnicis eximi error de pluribus Diis, & eximi Ethnicis ac Hebræis non potuit error minus craſſus de diabolo?

Respondeo tertio. Christus omnes errores, præjudicia, abusus que impugnavit. Quid ergo huic uni parcebat? cur dæmoni non ausus arma inferre? Haud paulo gravius, quod Servator vel inter Gentiles hanc fabulam propagavit: quod miscuit cum præcipuis doctrinis, imo inde argumenta petivit. Licetne ei, qui vult sacra purgare, estque præco veritatis, errorem, quem ceteris substrui videt, non solum relinquere intactum, sed etiam suum facere?

Dicunt quarto. Christus toleravit præjudicium discipulorum de regno suo in terris, ergo illud Judæorum de dæmone potuit pariter tolerare.

Respondeo. Christus diserte præjudicium hoc suis exemit: neque uno loco.

Dicunt quinto. Si Christus & Apostoli non essent more gentis locuti, a paucissimis intellecti forent; ergo verba, non rem ipsam retinuerunt.

Respondeo. Quasi dicas, nec Ethnici, nisi more profano locutum, PAULUM intellexissent.

Dicunt sexto. Dæmones sunt inventum Paganorum; quod ostendunt ex APULEJO, atque aliis, qui scripserunt de dæmonibus. Ergo confundi non debent cum doctrinis christianis.

Respondeo primo Pagani Diaboli rebus miscuerunt multa fabulosa; nec tamen doctrinæ summa ab ipsis est; verum Scripturæ debetur, ut supra vidimus. Scriptura vero antiquior est Paganis omnibus Scriptoribus. Quæso, cur eodem

jure non dicunt, exiſtentiam Dei a Paganis venire? nam iſtam quoque palmarem veritatem fabulis pluribus deformarunt. Idem repone, ſi quando contendant, mille ineptias ex iſta opinione pullulaſſe. Si enim Rabbini, Platonici ceterique de Dæmone quid finxerunt, an ideo & Dæmon eſt fictus? Propter falſas ideas de Deo, vel Dæmone ſanus nemo ſive Deum negat ſive Dæmonem.

Reſpondeo ſecundo. Doctrina de Diabolo, maliſque Spiritibus fuit parum cognita ante Chriſtum, unde ARNOBIUS *Libro II. adverſum Gentes* de dæmonibus crudeliter ſævis ſcribit: *& ante Chriſtum incogniti, & ab ſolo ſciente detecti.* Et diſcipulus ejus LACTANTIUS *Libro VI. Divinarum Inſtitutionum cap.* 6. non eſſe mirum monet, quod Ethnici omnes, *quid eſſet bonum, quid malum ignoraverint, qui nec Deum, nec adverſarium Dei ſcierint.* Vide & ORIGENEM *adverſus Celſum Libro VI. pag. mihi* 303. Sed nempe intelligendi ſunt, nil noviſſe de malitia, artibus, culpa, & ſuppliciis ejus. Ceterum & Græci, & Romani, & populi omnes convenerunt in dæmonibus aſſerendis, colendisque. Teſtem habes locupletiſſimum GERARDUM JOANNEM VOSSIUM *de Origine, & progreſſu Idololatriæ.* Atque hæc ideo dixi, quod quidam illo venerunt, ut apud rudes paſſim contendant, Hebræos ſolos ejus ſententiæ fuiſſe, quod detur diabolus; atque hos ipſos a Chaldæis eſſe mutuatos.

Dicunt ſeptimo. Judæi in omnibus Allegoriam ſectabantur, ergo doctrina de Diabolo ſit pariter allegorica oportet.

Respondeo. Argumentum insigne ! quo omnes divinos libros detorquebo ad allegoriam. Judæi Allegoriam amabant, quin ideo ipsam litteram tollerent, uti WOOLSTONUS, & quidam alii post fecerunt.

Dicunt octavo. Hæc doctrina habet multum incommodi, quod homines illi addicti cum Judæis assuescunt peccata in Dæmonem rejicere.

Respondeo. Ei qui hæc objicit revocandum in memoriam, quod supra quæsivi : cur ego Christus & Apostoli non profligarint tam noxium errorem ? Judæi vero tantum abest, ut quidquid peccabant, Dæmonibus tribuerent, ut in Lege oppositum profiterentur.

Dicunt nono. Christus ipse diabolum *mendacem*, fictumque vocat, qui nunquam *steterit in veritate.*

Respondeo. Ergo existat necesse est. Qui enim non existit, nequit mentiri. SEMLERUS non semel convictus falsi *in veritate non stetit ;* & tamen existit hodiernum in diem.

Dicunt decimo. Complures loci, quos Dæmoni vulgo tribuunt, debent longe alio sensu intelligi.

Respondeo. Si aliter intelligi debent, idonea causa subest ; illi, quos hîc adhibeo, non admittunt aliam interpretationem.

Tantum pro vero Diabolo. Plura dedi in *Nova forma Theologiæ Biblicæ his temporibus accommodatæ Tomo III. Libro I. Quæstione* 15.

TRANSACTIO IV.

Spiritus universe habent varias, & eximias facultates.

Spirituum facultates; præsertim vis motrix.

Hoc caput propter rerum ingentem copiam dispescere debemus.

§. I.

Cum natura Angelorum sit spiritualis, pollens vi intelligendi, ac volendi, neque ullam habeat substantiæ corporeæ admistionem, ratio dictat, eos agere in corpora naturaliter haud posse. Nil enim cum materia commune habent. Scimus tamen non solum ex sacris Litteris, verum etiam ex ipsa ratione, & experientia, spiritus reapse agere in materiam. Scimus, supremum Spiritum creasse mundum, ejusque omnia movere, ut lubet. Scimus animam nostram, quemcunque vult, motum imprimere corpori. Scimus Spiritus bonos, & malos sane plurimum in corpora sive animata valuisse, sive inanima. Revocetur hîc in memoriam *Vastator Angelus*, qui totum SENNACHERIBI exercitum nocte una delevit: vel etiam *Satan*, qui JOBUM periclitandi causa tam atrociter, quam diu, divexavit.

Quæ contra garriunt, sunt nullius momenti. Nam etsi capere, vel potius ope phantasiæ nobis proponere, haud possimus, quo pacto id fiat; tamen si omnia neganda forent, quæ nequeunt sic exhiberi, conciderent uno ictu Philosophia ac Theologia. Certe nec Deus jam regere mundum posset, vel anima in corpore agere.

Quod autem materia, ejuſque motus a Spiritu differant toto cœlo : & mutui nil habeant, verum eſt; ſed falſum illud, nil eſſe Spiritum quam cogitationem. Ratio contra Carteſianos plane dictat, eſſe *veras ſubſtantias*, quæ præter vim intelligendi, ac volendi ſint dotibus variis, ac eximiis inſtructæ.

§. II.

Quomodo hæc indita.

Etſi vero ex legibus naturæ tractatio corporis ſuperare videtur vim ſubſtantiæ incorporeæ: atque ideo huic indi debuerit, tamen non eſt prodigio, & extra ordinem conceſſa. Ratio eſt, quia teſte Scriptura Spiritus mali interdum corporea ſic tractant, ut Deus ſalva ſanctitate non poſſet illis has vires *decreto novo*, *& ſpeciali* concedere. Id quod obvio exemplo declaratur. Diabolus Servatorem ſupra montem, & pinnaculum templi ſtatuit, ad peccatum inducere volens. Quare Deus præter ordinem tantam vim indens, contuliſſet operam ſuam ad maximum ſcelus, & diaboli conſilia non juviſſet tantum, ſed etiam executus fuiſſet. Immo quoties Dæmon ejuſmodi machinis nos perdere conſtituit, ſua ſumma poteſtate velut obſequi illi deberet Deus. Quod cum pugnet cum ſana ratione, dicendum plane, Spiritus habere vim inditam ad hæc facienda, ita quidem, ut exerere hanc ſemper poſſint, quotieſcumque non prohibentur.

§. III.

Unde vero habent hanc vim, præterquam voluntate Conditoris? Hæc eſt ſola rerum omnium

natura. Quemadmodum ergo anima noſtra *immediate* agit in corpus ſuum, & iſto *mediante* in corpora alia, idque naturaliter; ita Spiritus ſecundum naturam ſuam agunt in omnia corpora, a quibus non arcentur; applicando ſe ad illa, eaque ſubigendo, etſi modus, quo hoc præſtant, ſit nobis omnino incognitus. * Sicut enim *dependentia*, quam dicunt, corporis noſtri ab anima voluntate Dei inducta fuit; ſic abſque alio nexu materiam omnem pro varia tractatione Spirituum affici varie neceſſum eſt: & ſicut Deus *concurrendo cum anima noſtra* ad actus naturales, etiam prohibitos, tamen *ad culpam minime concurrit*, ſic Deus influendo in actus naturales Spirituum malorum, ad malitiam tamen horum non confert operam ſuam. Nempe iſti, ſi quidem ſecundum ſe, & *abſtrahendo ab omni lege* conſiderentur, ſunt æque innati, ac eorum viribus congruentes.

§. IV.

Quanta hinc poteſtas.

Ex quo vides, eſſe magnam omnino, & mirabilem Spirituum poteſtatem; non utique in Spiritus alios, vel animas corpore ſolutas, verum in corpora. Oritur enim ex im-

* Cogita hic HABACUCUM *Danielis cap.* 14: vel PHILIPPUM *Actorum cap.* 8. per aërem ab Angelo raptos, ac deportatos. Conſtat tamen, requiri ad hoc propinquitatem, haud ſecus ac inter corpora, cum in ſe agunt; non quidem illa ipſa ratione, ſed ordine naturali inter *agens*, & *paſſum*. Nam Angelus non movet per ſolam voluntatem, ſed *potentiam ſubordinatam*, velut *principium immediatum*. Ita vero de corporibus. An autem hæc propinquitas etiam requiratur, ut Angelus moveat alium Angelum, id dicere ego non auſim; quin potius perſuadeo mihi, id homines, ut maxime doctos, prorſus latere.

menſa quam habent cognitione naturalium rerum *, oritur ex vi movendi, oritur ex celeritate, qua uno momento, cogitationis inſtar, percurrunt totum orbem: oritur ex ipſa natura, corporis experte; quæ facit, ut eorum vis agendi non ita impediri, limitari poſſit, ut illa mortalium.

§. V.

Poteſtas Spirituum, quod quidem motum ſpectat, ſe etiam extendit in ipſos Spiritus. Angelus enim poteſt alium Angelum vel invitum, niſi fortior ille, ac ſuperior ſit, movere loco, vel detinere. Idem dic de anima, a corpore ſeparata. Etſi enim tunc ceſſet occaſio agendi in animam, quam corpus miniſtrat, tamen manet natura, & conditio ipſius animæ. Actio autem Spiritus in Spiritum non datur, præterquam ſuadens, ſive, ut vocant, *illuſtrans*.

Deus utitur operâ Spirituum. Propter has facultates Deus identidem operâ Spirituum utitur in ſuis conſiliis adimplendis. Unde PAULUS in *Epiſtola ad Hebræos cap.* 1. *verſ.* 14. inquit; *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus.* Etſi vero diverſi ſunt ordines, diverſæque dignitates, tamen officio hoc haud minus æquales ſunt, ac naturæ communione. GREGORIUS *Magnus homilia* 34. *in Evangelia* diſcrimen unicum ſtatuit, quod *qui*

* Naturalis facultas intelligendi, quæ ineſt Spiritibus, eſt longe perfectior humana. Nam homines ex anima ſimul, & corpore conſtant. Corpus autem tardiorem reddit animam ad intelligendum: ac recte auctor *Sapientiæ cap.* 9. *verſ.* 15: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.*

minima nuntiant, *Angeli*, *qui vero ſumma annuntiant*, *Archangeli vocentur.* Porro officia Spirituum habemus ex innumeris locis utriuſque Inſtrumenti. Jam enim dicuntur deſtinati ad totius Eccleſiæ, vel etiam ſingulorum hominum defenſionem. *In tempore autem illo conſurget Michaël*, *princeps magnus*, *qui ſtat pro filiis populi tui. Danielis cap.* 12. *verſ.* 1. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*, *&* *eripiet eos. Pſalmo* 33. *verſ.* 8. *Angelis ſuis mandavit de te*, *ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Pſalmo* 90. *verſ.* 11. Alias dicuntur piorum preces Deo offerre: *Quando orabas cum lacrimis*, *&* *ſepeliebas mortuos*, *&* *derelinquebas prandium tuum*, *&* *mortuos abſcondebas per diem in domo tua*, *&* *nocte ſepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino. Tobiæ cap.* 12. *verſ.* 12. Et *aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Apocalypſis cap.* 8. *verſ.* 4. Rurſus voluntatem, & mandata Dei ſignificant hominibus: *Cumque inveniſſet eam* (Agarem) *Angelus Domini* .... *dixit ad illam: Agar*, *ancilla Sarai! unde venis*, *&* *quo vadis? Quæ reſpondit: A facie Sarai*, *dominæ meæ*, *ego fugio. Dixitque ei Angelus Domini: Revertere ad dominam tuam*, *&* *humiliare ſub manu illius.* Denique Spiritus quædam mira præter ordinem naturæ operantur, quoties id ſive honor divinus, ſive ſalus jubet animarum. Exemplis plena eſt omnis Scriptura.

TRANSACTIO V.

Facultates Spirituum, ut maxime nobiles, ac excellentes, tamen limi- *Habent illi limites ſuos in agendo.*

tatæ ſunt, ac circumſcriptæ pluribus modis, ſive res, ſive loca, ſive tempus &c. ſpectemus. Ratio eſt manifeſta, quia natura Spirituum eſt finitæ perfectionis, & pertinet ad res conditas.

Atque iſtud de Fide eſt; quando ſoli Deo perfectio infinita competit, ac limitibus carens. Quare Spiritus non continent ſive *formaliter*, ut dicunt, ſive eminenter perfectiones quaſcunque, verum eas duntaxat, quæ ad ſuam conditionem perficiendam requiruntur. Verum iſta ſeorſim expendamus.

§. I.

Corrumpi haud poſſunt, vel deſinere; ſed redigi in nihilum a Deo.

Spiritus quidem corrumpi haud poſſunt, & habent naturam ex ſe immortalem; verum idem, qui hanc dedit, poteſt tollere, ac eos deſtruere. Non tamen poſſunt deſtrui ab alio, & ne quidem a ſe ipſis, quacunque vel extrema vi adhibita.

§. II.

Deum minime comprehendunt.

Etiam iſtud pertinet ad limites ſpiritualis naturæ; quod Deum minime comprehendunt. Equidem intelligentia eorum eſt tam perfecta, ut omnia entia cognoſcat; videlicet ſe ipſam: Angelos alios, ſive ſuperiores ſint, ſive inferiores: res omnes materiales in *genere*, *ſpecie*, & *individuo*; verum ipſam Divinitatem naturaliter non cognoſcunt niſi *abſtractiva* cognitione: & ſi pertingunt ad ſublimiorem illam cognitionem, quæ vocatur *intuitiva*, iſtud, haud ſecus ac apud homines, prodigio fit, ſuperatque omnes vires conditarum rerum.

§. III.

Sed nil magis oſtendit Spirituum limites, quam exiſtentia eorum in loco. Nam etſi non eodem modo in locis agant, quo corpora, videlicet *per extenſionem*; tamen certo, definitoque loco præſentes ſunt, non ſolum ratione ſubſtantiæ, verum etiam operationis, ac virtutis; verbi gratia in cœlo, in corpore obſeſſi &c. Hoc autem minime repugnat ſpirituali rei Nequeunt ergo ubique eſſe; quia ſola Divinitas immenſa eſt. Qua de cauſa mutant locum; id eſt unum amittunt, & alium acquirunt; quia nulli neceſſario adhærent. Atque ipſe de ſe Satan *cap.* 1. *Libri Job verſ.* 7: *Circuivi terram, & perambulavi eam.* Quare cum Patres dicunt, Angelos ubique adeſſe, id accipiunt de eorum pernicitate, ſtudioque juvandi. * Et quidem de celeritate ſupra Tranſact. IV. §. IV. dixi, eodem momento pervadere eos univerſum mundum. Parumque idonea eſt ſimilitudo AUGUSTINI, qui *Libro de Divinatione dæmonum cap.* 4. inquit: *Celeritate Angeli curſum ferarum, & volatum avium incomparabiliter vincunt.* Nam etſi curſum ſiderum dixiſſet, parum erat dicturus.

Quomodo exiſtant Spiritus in loco.

§. IV.

Porro tantum a ſe diſtant Spiritus, quantum corpora, quibus *inexiſtunt.* Angeli ſcilicet in cœlo empyreo diſtant tantum a dæmonibus in tartaro, quantum tartarus ab hoc cœlo diſtat; etſi diſtantia non tam a corpo-

Quomodo diſtent inter ſe?

* Vide præ ceteris TERTULLIANUM *cap.* 22. *Apologetici.*

ribus oriatur, quam ipſis Angelis, ſecundum naturam ſpectatis; ita quidem, ut ſi cœlum empyreum, tartarus, atque omnia deſtruerentur, & eſſe ceſſarent, vel in vacuo illo tantumdem a ſe invicem remoti forent.

§. V.

An poſſint eſſe plures in loco eodem?

Rurſum Spiritus plures poſſunt naturaliter eſſe ſimul in eodem loco; verbi gratia in eodem corpore ejuſdem hominis. Quod patet ex Evangelio; ubi dicitur, legionem integram dæmonum corpus unum inſediſſe. * Non enim naturaliter ſe excludunt; quia non ſunt quanti, vel extenſi. Quamquam & iſtud tunc monendum eſt, non omnes ut *cauſas totales ad eundem effectum concurrere*; verum ut *partiales*.

§. VI.

An unus Spiritus in locis duobus?

Contra is ipſe Spiritus ſimul nequit naturaliter eſſe in duobus locis diſtinctis, ſive non continuis; quia una eſt ſubſtantia, eaque finita, habens locum determinatum ad operandum; haud ſecus ac noſtra anima in proprio corpore agens.

Quantus autem ſit locus *adæquatus*, cuique Angelo ſecundum gradum perfectionis ſuæ competens, neſcimus: & etſi haud repugnaret creari Angelum, qui naturaliter poſſet in toto hoc mundo eſſe, utpote finito, tamen nullus credendus

* *Marci cap.* 5. *a verſu* 1. *uſque ad* 21.

ſic

ſic conditus; quia ipſe LUCIFER, princeps eorum, fuiſſe de cœlo dejectus memoratur.

§. VII.

Rurſum Spiritus non exiſtit neceſſario in ſuo loco maximo, & adæquato, tam ſecundum operationem, quam præſentiam. Non enim niſi liberrime exiſtit, ubicunque exiſtat. Proin in loco quovis minori, licet unicum ſit, & indiviſibile punctum, exiſtere poteſt.

Spiritus poſſunt occupare locum quemcunque ſive maximum, ſive minimum.

§. VIII.

Spiritus, dum movetur, habet proprium motum ſpiritualem: ſive cum corpus movet, etiam ſe ipſum movet una cum illo. Scriptura enim de Spiritibus ſe moventibus ſemper loquitur, ſicut de hominibus, vel brutis; ut *I. Petri* 5: *Matth.* 12. & 4: *Lucæ* 1. 7. 8. &c.

Cum movent corpus etiam ipſi cum eo moventur.

Nec tamen poteſt tranſire ad locum diſtantem ſine *tranſitu per medium.* Cum enim ſit pars univerſi, debet naturaliter moveri ſervato ordine locorum; ſive, quod idem eſt, ſecundum naturam, modumque agendi conſuetum cuivis conditæ rei.

Tranſeunt medium.

§. IX.

Sicut autem proceſſu temporis poteſt locum mutare, ut corpora mutant; ſic etiam mutare poteſt momento; quia poteſt ſimul & ſemel totum locum amittere, & alium

Momento ubique ſunt.

occupare. Deinde movetur ſine ulla repugnantia vel ex parte ſubſtantiæ ſuæ; vel ex parte corporis interjecti. Dixi autem, poſſe locum mutare; non loca; quia patet ex §. VI. eum non poſſe naturaliter ſimul exiſtere in duobus locis diſtinctis, ſive non continuis.

§. X.

Corollarium de prodigiis. Ex omnibus his patet, prodigium edi ab Angelo nullum poſſe; quia non eſt ſupra, verum ſecundum naturam. Ergo Leges naturales mutare non eſt niſi ejus, qui condidit naturam, illique dominatur ſumma poteſtate. *

TRANSACTIO VI.

Novi limites Spirituum. Spiritus nec illas cognatas facultates poſſunt exerere ſine juſſu, permiſſuve Dei.

Nempe, quæcunque ſunt dicta de poteſtate eorum, de *reſtricta* intelligi debent; quia nequeunt hac aliter uti, quam velit ſupremus Dominus. Quod quia per ſe eſt manifeſtum, nullis debet argumentis confirmari. Id unum addo, Spiritus inferiores ne quidem poſſe ſua tota poteſtate uti invito principe ordinis ſui. Eſt enim, ut ſacræ Litteræ ſignificant, inter Angelos quidam gradus

---

* Spirituum facultates fuſe, ſubtiliter, accurate diſcutiunt P. BUBALI, Jeſuita Gallus, in opere *de Angelis Lugduni* 1662: atque JACOBUS ODE *Diſſertatione Theologica de natura Angelorum.*

dignitatum, & imperiorum; quæ res multum confert ad decorem universi.

TRANSACTIO VII.

Etiam mali Spiritus suas dotes, viresque retinuerunt.

Dæmon retinuit suas dotes naturales.

Vidimus ex supradictis, Spiritum quemcunque, si potestas a Deo fiat, quamplurimum in res conditas posse. Quæritur ergo, an Dæmon quoque hanc potestatem retinuerit? Est autem digna responsio, quæ hoc illi concedit. Deus enim non abstulit Dæmoni sive naturam, sive adventitias dotes, quæ eò referuntur; quia, ut S. Leo *magnus Sermone XII. de Passione* docet, dominatum ejus non tam vi, & superiori potestate, verum consilio, & ratione destructum ibat.

TRANSACTIO VIII.

Imo Deus malos Spiritus sæpe nobis permisit nocere: iisque solet uti, velut lictoribus suis.

Deus illum nocere nobis sivit.

Quod iterum ex Scripturæ quamplurimis locis patet. Vel enim hos mittit, ut impios puniant, vel justis materiam virtutum ministrent. Illustre est exemplum in *I. Epistola ad Corinthios cap.* 5. *versu* 5. ubi Paulus Corinthium, incestus reum, *tradidit Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus esset.*

TRANSACTIO IX.

Minus tam in Nova, quam Veteri lege.

Nihilominus potestatem Dæmonis, præsertim in Lege Nova, angustioribus terminis coërcuit Deus, quam vulgo existimetur.

Redemptor enim noster, quemadmodum mortem, ac peccatum, ita Diabolum fregit penitus, atque devicit; ita quidem, ut illi haud secus ac enectæ, & palpitanti belluæ insultent Christiani. De quo plenius suo loco; cum scilicet ad Consectaria, & Partem tertiam ventum erit.

Rationes Dei id sinentis.

Nunc satis est illud AUGUSTINI *Libro II. de Civitate Dei cap.* 23: *Tantum possunt dæmones, quantum secreto Dei arbitrio permittuntur.* Arbitrio dixit, & secreto arbitrio; quia plura potest permittere ut fiant ab aliis, quæ facere per se ipse pacto nullo potest. Novit haud dubie, quam perversa sint voluntate: & quod facibus invidiæ magis, quam ignibus usti, ubique adversentur saluti nostræ: omnique occasioni immineant hominibus nocendi. Nihilominus, quemadmodum permittit potestatem magnam hominibus in homines, quæ sæpe non minus violentiæ, periculi vero plusculum habet, sic potuit permittere, ut etiam dæmones his molesti essent; quia utroque ex malo bona plura, eaque maxima elicere novit secundum illum ipsum AUGUSTINUM. Quidquid in actibus divinæ providentiæ injustum judicio nostro, vel turpe videtur, potius imbecillitatis nos nostræ admonet, jubetque finitam rationem infinitæ illi subjicere. In infinito, sunt autem infinitæ Dei actiones, propor-

tiones nos videre nequimus; imo in finitis quoque, si sint nimiæ molis, putamus quædam non congruere, quæ tamen, si debito loco, & oculis majoribus intueri liceret, aptissima haberentur. Horum si PETRUS BAILIUS in impugnanda providentia fuisset recordatus, a JAQUELOTIO, & aliis non esset tam male acceptus.

Porro si Deus impedisset Satanam, cum primos parentes induxit ad peccandum, nunquam ejus Filius filius hominis esse factus: atque ita nec filii hominum ad conditionem filiorum Dei evecti forent. *

Ut vero discrimen inter Vetus, Novumque Testamentum, inter Ecclesiam, & falsas religiones paulo magis emineat, exempla dabo certissima, quam multa tum Diabolo in nos licuerit. Præter lapsum primorum parentum habes calamitatem beati JOB, cædem maritorum SARÆ, obsessionem tot hominum in Evangelio: ac denique tentationem ipsius Hominis-Dei. Præcipue cogitanda tyrannis, quam ante adventum Christi malignus Spiritus in populos gravissimam exercuit: quæque cum horrore legentium in Patribus præcipuis, & in omni Historia passim in oculos incurrit. Lege Clarissimi Viri GERARDI JOANNIS VOSSII *Theologiam Gentilem*, & *Physiologiam Christianam*: PETRIque LE BRUN opus celebre, quod inscribitur *Histoire Critique des Pratiques superstitieuses.*

---

* De his alibi fuse egi; videlicet in *Nova Forma Theologiæ Biblicæ his temporibus accommodatæ Tomo III. Libro* 2. *Quæstione* 15.

Nunquam dat homini Angelum malum, velut comitem.

Nihilominus peccant in omnem ſanam rationem, qui docent, Deum, quemadmodum hominibus ſingulis cuſtodem Angelum dedit, ſic Dæmonem ad pugnam dediſſe. Dedecet id ſupremam bonitatem: & Sanctus *Jacobus cap.* 1. Epiſtolæ ſuæ *verſ.* 13. diſerte admonet, quod Deus *neminem tentet.* Apage igitur hunc comitem non ſolum ex *lege gratiæ*, verum etiam ex ipſa Gentilitate!



PARS II.

TRANSACTIONES DIABOLICÆ PECULIARES.

TRANSACTIO I.

Nominatim permisit Deus, ut mali Spiritus corpora hominum insiderent. Dudum POMPONATIUS, ex nuperis HOBBESIUS, BEKKERUS, aliique negarunt obsessionem diabolicam. Atque ad istos accedunt multi, præsertim ex Medicis, qui putant se habendos doctiores, si sacris Litteris contradicant. Tales sunt LANGIUS, homo Gallus, *Tractatu de Vaporibus cap.* 7. & J. C. WESTPHALUS *in Pathologia dæmoniaca.* Sunt autem his obsessio jam Epilepsia maniaca, vel morbus Archæalis, vel Catalepsis exstatica, vel vapores melancholici. SAMUEL BASNAGE *Exercitationibus contra Baronium pagina* 635. 637. non veretur advertere, vel ætate Christi, & ejus Apostolorum Energumenos plerosque non fuisse a Dæmone; verum insolito, ac abreptitio morbo vexatos, quem Hebræi horroris causa obsessionem vocassent. Quod si rationem poscis audacis dicti, aliam nullam habet, quam rarissime nunc Energumenos esse. Quasi vero nil singulare potuisset tunc accidere. Erant causæ, cur magis furere tum Dæmon sineretur. * *De obsessis.*

Equidem inficias non eo, dispositionem ac habitum corporis, ac maxime genus morbi hypochondriacum conferre plurimum posse ad Satanæ violentias, atque vexationes; verum ut his

* Vide *Novam Formam Theologiæ Biblicæ his temporibus accommodatæ Tomo III. Libro* 3. *Quæstione* 5.

totum tribuamus, diſerte vetat Evangelium; nam & ſupra eſt dictum, quod *Lucas*, & *Marcus* ſolicite diſcernant Dæmoniacos a ceteris morbo affectis. Quod etiam facit *Matthæus cap.* 4. *verſ.* 24.

Accedit manifeſtiſſima ratio, quam præbent apud Energumenos exoticæ linguæ, prædictiones occultorum, ac futurorum, vires ſtupendæ, multumque ſupra maniam. Negabunt hæc ſcilicet, ac pernegabunt; verum tanti non ſunt pulli HOBBESIANI, ut eorum in gratiam tot teſtes exceptione majores, qui rebus interfuerunt, mendacii poſtulemus. Medicis autem pro jure reſpondemus, ejuſmodi non eſſe hanc cauſam, ut patiamur ex foro ipſorum de illa decerni.

Dicunt. Quæ in obſeſſo miramur phænomenis maniacis, & epilepticis affinia eſſe.

Reſpondeo 1. Medici expertiſſimi apud hos homines, cetera vegetos, robuſtoſque nec veſtigium cujuſdam morbi detexerunt.

Reſpondeo 2. Obſeſſionem ego non ex clamoribus, & inconditis motibus, verum ex Evangelio, ex linguis, notitia occultorum, prædictionibus, viribuſque mania ſuperioribus demonſtravi. Dent adverſarii ſimilia argumenta, & palmam dabo.

Dicunt ſecundo. Nemo hactenus rationem ſufficientem dedit, cur tantum poteſtatis malo genio Deus concedat.

Reſpondeo. Multa exiſtunt certiſſime, quorum cauſa, cur exiſtant, nos penitus latet: &

Deus facilius permittere quid poteſt, quam nos dicere, quare permittat. Argumentum duntaxat valet, cum entis cujuſdam exiſtentia non aliunde jam eſt oſtenſa.

Dicunt tertio. Sunt certiſſime, qui variis de cauſis ſimulant obſeſſionem: atque illis utuntur artibus, quæ verum a falſo vix ſinant diſcernere.

Reſpondeo. Illi, quos producebam ex Evangelio, non ſimulabant. Quod ſi ſimulaſſent, Servator id utique agnoviſſet.

His præmiſſis paulatim progreſſi pervenimus ad arcem quæſtionis.

TRANSACTIO II.

De Magia univerſe.

Etſi vero mali Spiritus per ſe ipſi poſſint nocere, non ſequitur inde, quod etiam per alios poſſint.

Plurimi, qui ultro dant Diaboli poteſtatem, percipere nullatenus volunt, quod Deus hanc illi tam large fecerit, ut eam per ſervos quoque, ac partiarios, ſibi familiares, qui quovis nomine cum ipſo commercium habent, exerere poſſit: ſive, ut uno verbo me expediam, negant omnes Magicas artes. Itaque eſt operæ pretium, in re, quæ tantum uſum habet, ac innumera ſcitu jucunda complectitur, ſic verſari, ut plane conſtet, nil partium ſtudio, nil opinionibus præjudicatis datum.

Sunt autem duo, in quibus velut cardinibus vertitur tota quæſtio. Quidam enim abſolute

Magiam e medio tollunt; alii viguiſſe agnoſcunt; contendunt tamen, a morte Servatoris, partaque ſalute pulſam toto orbe, ac abolitam eſſe.

Ego, ut ordine procedam, pluribus, ſed tamen inter ſe connexis theſibus negotium gero: meamque ſententiam, ut ceteris in rebus, reſpectu nullo, præterquam veritatis candidé aperio. Multum enim temporis in rem iſtam impendi; legi vero quamplurima, ad conſilium denique hominum expertorum, ac doctorum toties retuli, ut videar mihi non imparatus accedere ad tantam cauſam. Quid quod magna voluntate hodieque cupio dedoceri, ſi quando aberraſſe me, vel auctoritatibus quis conficiat, vel argumentis.

Magia non eſt de Fide: Præmittendum eſt autem, quod Magia proprie dicta, quæ ſcilicet ope Dæmonis mira præſtat, nec ſit de Fide, nec habeat indubitatam rationem.

Hoc oſtendo ex mente Eccleſiæ, quæ id nunquam pro dogmate, vel re comperta venditavit; minus illos, qui contra ſentiunt, hæreticos ſtatuit. * Nempe Scriptura, quæ ſæpe de Magia commemorat, non loquitur apertiſſimis verbis: & Patrum, etiam multorum, auctoritas in re tali non habet pondus aliud, quam rerum, quibus nituntur.

* Quod eſt tanto magis notandum, quia ſanctus AUGUSTINUS *Libro XXI. de Civitate Dei cap. 6.* pene ad ipſa capita religionis hoc voluit pertinere: SUARIUS autem aperte ſtatuit, Magiam ſine errore in Fide negari nequaquam poſſe. *Tomo X. Tractatu III. Libro 2. de Superſtitione cap. 14.*

Accedit ratio, quæ tria docet; *primo*, videri abſonum prorſus, ac indecorum, quod Deus pro libidine perditi hominis ſinat a Dæmone inſontem vexari. *Secundo*, ejuſmodi *tentationem* eſſe nimis periculoſam in tanta infirmitate mortalium, & tot mutuis neceſſitatibus commercii, ſocietatisque quotidianæ. *Tertio* ſuperare omnem fidem, Diabolum ab homine ſibi devoto pro arbitrio ad maleficia poſſe cogi. Quî enim hoc fiat? an adhibitis naturalibus cauſis? an vi pacti inter ipſos conflati? Sed nempe nec metalla, nec herbæ, nec carmina habent vim Dæmonis adjurandi, aut compellendi. Fœdus autem cum Dæmone ſtare nullum poteſt. Fide caret: &, ſi dedit, præſtat nemini, præterquam in rem ſuam, ſolam habens rationem utilitatis, commodorumque ſuorum.

TRANSACTIO III.

Habet pro ſe divinas Litteras:

Opinioni tamen, quæ omnes has artes amandat ad fabulas, non convenit ſatis cum dictis ſacrarum Litterarum.

Oſtenditur inde, quod ita quidquid in Scriptura legitur de Magia, vel fraudibus hiſtrionicis, & ſubornatis teſtibus, vel circulatorum celeritate, & ludificatione deberet explicari. Iſtud autem, qui divinis libris reverentiam ſummam debet, poſſit in animum admittere? Certe, ut de ſolis Magis Ægyptiis in *Exodo* loquar *, non dicuntur illi celeritate, ſive præſtigiis res ſuas

* Nam præter iſtos occurrunt *Arioli*, *Incantatores*, *Malefici*, *Spiritum Pythonem habentes.*

effeciſſe, verum faſcinis, carminibus, ſive myſteriis. *Fecerunt per incantationes Ægyptiacas ſimiliter*, dicit ſacer Hiſtoricus *Exodi cap.* 7. *verſ.* 11. Atque hæc ratio loquendi tertium ibi repetitur. Quo, ſi quid video, aperte indicatur, confugiſſe homines ad auxilium Dæmonis, ad adjurationes, ad artes arcanas, ſive magicas. De ſaga Endorea idipſum dicas. Nam tota narratio nil præfert ludibrii, vel artis circulatoriæ.

Rurſum quæ vis infertur ſacris Litteris, ſi dicamus, capitalem pœnam ab ea ſtatui in homines, qui ſola celeritate, & præſtigiis ſpectantium oculos deluderent! *

Quam indignum eſt verba Apoſtoli: *Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus. II. ad Theſſalonicenſes cap.* 2. *verſu* 9: accipere, ut aliud non ſonent, quam, Antichriſtum artibus ludicris uſurum ad Chriſti ſacra evertenda?

Dicunt adverſarii. Magorum, & *Magiæ* nomen olim optimum erat, vel in ipſa Scriptura.

Reſpondeo. In illis locis, quos dixi, habent ſenſum ſequiorem, reſque peſſimas indicant.

---

* Lege, & expende per otium, quantopere Deus non artem, ſed ſcelus Magiæ abominetur, *Levitici cap.* 20. *verſu* 6. & 27. & *Deuteronomii cap.* 18. *verſu.* 10. 11. 12.

TRANSACTIO IV.

Sed etiam hiſtoricam fidem ſolicitat vehementer.

ſummamque hiſtoricam auctoritatem.

Durum enim, ne dicam temerarium eſt, inficiari omnia, atque fraudibus, vel inſcitiæ tribuere, quæ ſuffragio ſæculorum, & teſtimoniis innumeris firmata ubique gentium de Magia feruntur. Scriptores antiqui Græci, Romani, Barbari, pro explorata habent. Vim horum infinitam, & auctores graviſſimos vel ex ſola *Hiſtoria Superſtitionum* * proferre poſſum; quorum monumenta plerumque *Actis publicis*, ejuſque tempeſtatis religione nixa, ſi vana, ſi commentitia, ſi nulla dicis, næ tu mihi hiſtoricam fidem non tam infringere videris, quam convellere prorſus; certe ita concutere, ut in ceteris quoque nutet deinceps, ac nihil jam in narrationibus ratum, firmumque habeamus. Non id agitur in re ſummi momenti, ut torqueamus ſententias: & contra, quam omnibus ætatibus ſit factum, ſive ſacros, ſive profanos libros explicemus. Rationes ſunt expromendæ: & a quibus? Ab illis videlicet, non nobis, qui negante utimur argumento.

TRANSACTIO V.

Rationes ſupra allatæ, quæ tollunt omnem Magiam, ut ſint primo aſpectu ſatis efficaces, compoſitæ tamen cum verbis Scri-

Momenta inter ſe collata.

---

* PETRI LE BRUN, de qua ſupra.

pturæ, & teſtificatione communi totius antiquitatis, multum amittunt ponderis ſui.

Reponitur autem ad *primam*. Abſona plurima, & indecora videri, quæ tamen compertum ſit ſapientiſſimis de cauſis a Deo permitti.

Ad *ſecundam*. Etiam illas illecebras, illamque vim, qua homo hominem inducit ad malum, eſſe nimis periculoſas; & tamen quotidianas; quibus nemo caret, ni ſecedat, & humanæ ſocietati nuntium remittat. Dein JOBUM mihi cogita; non a Mago, verum ipſo Diabolo longe gravius tentatum. Cogita Martyres, a miniſtris ejuſdem genere omni immanitatis potius adactos, quam impulſos ad peccandum.

Ad *tertiam*. Equidem ſuperbiam Dæmonis eſſe tantam, ut ſe nullius, ne dicam mulierculæ, aut mendicabuli imperio ſine ſpe, vel commodo quodam ſit ſubjecturus; verum hanc ipſam ſuperbiam facere, ut debitum Deo cultum quovis impendio affectet. Sed & ſtudium humano generi nocendi illi acres admovet ſtimulos, ut ejus cauſa ad obſequia viliſſima lubens ſe demittat.

Quod attinet fidem a Dæmone datam, nemo aſſerit conſtantem eſſe, & non ſæpius falli, qui ſe illi manciparint. Nam quoties obſequitur, non alia de cauſa id præſtat, quam ut ægre faciat Deo, vel mortalibus mali quid importet.

Quod ſi addant, & fere addunt, poſſe pleraque, quæ vulgo Magiæ tribuuntur, per fraudes ſubornatorum hominum, per artes circulatorum,
per

per virtutem herbarum , per phantaſiam vehementem , per hominum cognatas facultates expediri ; in promptu eſt reſponſio , ſaltem in ſexcentis eventibus , ubi ſenſus fuerunt perſtricti , & phantaſiæ illuſum eſt , operam Dæmonis interveniſſe , qui illa in ſpeciem prodigioſa per ſe ipſe exhibuit. Idque adverſarii ſæpiſſime dederunt. Quod ſi fraudulenter ſunt a Dæmone facta , cur nequeant a Mago opera ejuſdem vere adminiſtrari?

Præcluditur effugium ſatis ingenioſum.

Quidam ceteris acutiores , & hos inter ipſe MAFFÆIUS , cum illis oſtenditur , artes Magorum Ægypti fuiſſe plane diabolicas : & etiam ficta prodigia , quæ edet Antichriſtus , non fore mera ludibria , ſolent illud reponere : Aliam eſſe Magiam *publicam* , aliam *clandeſtinam*. Publicam illam , quæ olim gentes integras in cultu Dæmonis firmaſſet, ac ultima ætate multos ad Antichriſtum eſſet tractura , poſſe facilius a Deo permitti. Rationem hanc aſſignant , oppido plauſibilem. Magia publica , ajunt , quantumvis damno publico , & communi intenta , non eſt tamen tam plena periculi : & ad fines ſibi præſtitutos violentia minore graſſatur , quam clancularia ; ubi Diabolus cuique ſeorſim jam nummos , jam delicias , jam inſtrumenta nocendi miniſtraret. Facile eſt enim toti populo , ni ſit aliunde perditis moribus , fallaciam , judiciis omnium expoſitam , detegere. Contra obſequium Dæmonis familiare , & occultum , quod homini pro arbitrio exhiberet , majores habet peccandi illecebras , quam ut poſſint vulgo a ſingulis ſuperari. Quibus

Reſpondeo. Diſcrimen inter clanculariam , & publicam Magiam probo ipſe vehementer ; ſed

etiam periculum in clancularia longe majus agnoſco. Atque hæc eſt cauſa, cur neque vulgarem hanc habeam, neque prorſus evidentem.

Sed nempe nil aliud hinc conficitur, quam videri contra rationem, ut hanc Deus frequenter permittat. Opinor autem vel in Veteri Lege, & inter Paganos nunquam abſolute ad arbitrium ſive Magi, ſive Dæmonis, verum pro conſilio modoque ſapientiæ ſuæ permiſſam a Conditore.

Multa ludibrio ſenſuum, ac præſtigiis fieri planum eſt; verum alia, neque pauca illa manifeſte involvunt fœdus cum hoſte maligno. Quod docent exempla a VOSSIO allata; verbi gratia, cum caput ligneum, vel metallinum ad quævis rogata reſpondet: cum corpus humanum in clauſo conclavi diſparet ſubito, vel ſpatio quadrantis horæ in loco longiſſime diſſito ſtatuitur.

Nempe argumentum aliud non extundit, quam veneficos cum Magia vera naturalem illam, ſive artificioſam conjungere. In quo Dæmonis calliditas elucet, maxime volentis, ut etiam iſta, quæ ipſe facit, videantur a natura, vel arte proficiſci. Lege VALENTINUM ERNESTUM LÖSCHER in den unſchuldigen Nachrichten von alten, und neuen theologiſchen Sachen ꝛc. ꝛc. Leipzig 1702. an der 257. Seite.

Cetera fere futilia ſunt, ut ſtatim patebit. Cum enim contendunt, homines varios nil magis habuiſſe in votis, quam ope, & commercio Spirituum mirabilia quædam edere; ſed nullo ſtudio potuiſſe conſequi, quod ambiſſent: reſpon-

demus cum eodem VOSSIO, eſſe primum, ubi Deus non permittat, præſertim in potentibus; ne nimium orbi incommodent: eſſe dein, ubi ipſe Dæmon refugiat conſortionem. Nam maxime amat eos, quibus poſſit facilius illudere, atque abuti; credulos nempe, ſimplices, perdite amantes, ſive aliis affectibus rapidis indulgentes.

Æque facilis eſt reſponſio, ſi quærant ex nobis: quid ergo ipſi Patres Magiam toties artem vaniſſimam, ſimulatricem, fraudulentam, luſoriam vocent? Faciunt enim alio ſenſu, quod Dæmon ſubſidio ejus mortales decipiat; non iſto, quod hanc negent aliquando humanis in rebus extitiſſe.

Inſtabunt. Non cohærere ſibi, quæ feruntur de Magis, quando Dæmon eodem halitu jam debilis, atque inermus, jam plane formidandus, ac potens habeatur.

Reſpondemus, hæc dici diverſo reſpectu, & pro vario ſive permiſſu, ſive juſſu Dei.

Inſtabunt rurſus. Diabolus nil ſupra, nil contra naturam efficere poteſt.

Reſpondemus. Nemo qui recte ſentiat, id contendet: & ſupra dixi, nullum ſpiritum poſſe prodigia edere. Quare ſi dicimus prodigium, quod inde venit, aliud non volumus, quam habere id ſpeciem prodigii.

Porro hic ſemper de Magia veterum mihi ſermo, ſive Gentilium mavis, ſive Hebræorum. De hodierna, ut mox patebit, nondum conſtitui.

TRANSACTIO VI.

Christus diaboli regnum evertit.

Quod ſi viguit aliquando Magia, non ſequitur inde, quod etiam in Eccleſiam repererit aditum.

Oſtenditur curate. Ante adventum, mortemque Servatoris Diabolo poteſtas ingens in homines fuit. Mille hos fraudibus, ac faſcinis ludebat: neque contentus ad errores turpiſſimos, & ſcelera infanda permoviſſe, inſectabatur, divexabatque omnibus modis. Vide quæ dixi ad finem Partis I.

Non ita poſt Chriſti triumphos, & reditum ad vitam. Ab eo enim tempore vires inimici penitus conciderunt. Quod ſæpe inculcant Libri ſacri. Sic apud *Joannem cap.* 12. *verſ.* 31. legimus: *Nunc judicium eſt mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*; ſive, quod idem ſonat: nunc inſtat tempus, quo genus humanum vindicandum ſit a poteſtate Dæmonis. Pellam eum proxime e regno ſuo. Rurſum *Epiſtola I. Petri cap.* 3. *verſ.* 22. dicitur, filium Dei profectum in cœlum ſubjeciſſe ſibi Angelos, Poteſtates, & Virtutes. Quod firmatur *verſ.* 15. *capitis* 2. *Epiſtolæ ad Coloſſenſes:* ac etiam *verſ.* 24. *capitis* 15. *Epiſtolæ I. ad Corinthios.* Idipſum etiam Prophetæ monuerunt. *Michæas* enim *cap.* 5. *verſ.* 11. ait: *Auferam maleficia de manu tua* (id eſt ab aſſeclis tuis) & *divinationes non erunt in te: & perire faciam ſculptilia tua, & ſtatuas tuas de medio tui.* Similem, ſed minus apertum locum dat *Iſajas cap.* 44. *verſ.* 25.

Maffæius: in *Arte Magica dileguata* præcipue provocat ad locum *Apocalypseos cap.* 20. *verſ.* 1. ubi habetur: eſſe draconem alligatum ab Angelo ad mille annos, id eſt longiſſimum tempus: item ad *verſum* 7 *ejuſdem capitis*, qui addit: elapſo hoc ſpatio e vinculis emittendum illum eſſe.

Locis Scripturæ accedunt loci Patrum, quorum plurimi, iique graviſſimi,

S. Ignatius *Martyr*, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Athanasius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus diſerte dicunt, diaboli potentiam, dolos, ac præſtigias a Chriſto ſublata eſſe. Locos exhibet is ipſe illuſtris ſcriptor *libro ſupra allegato.*

Denique affert rationem, eamque gravem, ac minime contemnendam; quod opinio de Magia etiamnum vigente præjudicet honori Servatoris, quando aſſumit, reportatam ab eo victoriam non fuiſſe plenam, atque perfectam.

Quare ingens eſt diſcrimen inter eos, qui Magiam ſimpliciter negant, & ceteros, qui tantum in *Lege gratiæ* ſublatam volunt. Vidimus enim pro hac poſtrema ſententia pugnare rationes, & argumenta valde idonea, quæ minime faciunt pro illa priore. Sed quædam opponi ſolita nunc repellamus.

Et I. quidem dici ſolet: Ex litteris *Miſſionariorum*, ex narrationibus Geographorum, ex

narrationibus Geographorum, ex commentariis itinera inſtituentium, aliiſque certiſſimis documentis habetur, quoſdam populos hodieque non minus patere fraudibus, & vexationi dæmonum, ac eos, qui vixerunt ante Chriſtum.

Reſpondeo. Id probe novi, ipſuſque legi de Lapponibus, Indiſque variis idololatris. Imo experientia docet, etiam apud Chriſtianos id omnibus accidere, qui errore quodam non ſunt loti ſacro fonte. Quamobrem de induſtria circumſcripſi, ac definivi propoſitionem. Sic enim illa habet: *Si viguit aliquando Magia, non ſequitur inde, quod in Eccleſiam quoque repererit aditum.*

II. Magi pejores ſunt non ſolum Schiſmaticis, Hæreticis, atque Paganis, ſed etiam Atheis. Cum enim norint Deum, eo abjecto Diabolum adorant. Non ergo ad Eccleſiam pertinent: ſuntque ipſo facto credentium communione moti. Ex quo ſequitur, etiam in Novo Teſtamento qualicunque numero Magorum nil decedere honori Servatoris; quia agerent extra Eccleſiam.

Reſpondeo. Argutia inanis, & miſera! utique venefici, & ſagæ omnes per ipſam ſuam impietatem Eccleſia egrediuntur; verum illi, quos impune ludificarent, inſectarentur, & ad malum inducerent, in Eccleſia omnes eſſent.

III. Argumenta, quibus firmatur propoſitio, equidem docent, Magiam *maleficam*, quæ aliis nocet, Legi Novæ parum convenire; non item *beneficam* illam, quæ Dæmonis opem potius ad-

hibet ad tenendos ſpectatores, quam ad damnum inferendum. Nam quidquid præſtet, admirationem, vel voluptatem habet, non detrimentum.

Reſpondeo. Diſcrimen hoc eſt plane novum; quod nemo faciet, ſi ſecum expenderit, artes magicas nunquam non beneficas ſimul, & maleficas eſſe. Nam cum aliis calamitatem importent, Magis ipſis utiles, aut ſaltem jucundæ erunt; cum nemo velit Dæmoni ſervire abſque mercede. Rurſum cum aliis non officiant, nec niſi ſpectaculo ſint, Magis ipſis nocent; quia nefariæ ſunt nihilominus, ac extremam continent impietatem.

TRANSACTIO VII.

An una everterit omnem Magiam?

Etiam rationes ex Lege Nova allatæ, ſi penitus inſpiciantur, Magiam raram potius, quam nullam oſtendunt.

Punctum difficultatis præcipuum tetigi, data opera huc reſervatum. Movemus autem contra virum admirabili doctrina, & eruditione SCIPIONEM MAFFÆIUM; qui nihil non agit, ut hanc noſtram ſententiam labefactet. Neque fit arrogantiæ ergo, ut tantum nobis ſumamus; ſed ſtudio veri, & fiducia cauſæ. Ni enim fallor vehementer, per multam inveſtigationem hîc quædam deprehendi, quæ aciem & diligentiam ejus plane effugerunt. Ita autem hæc exhibeo, ut ſalvam velim reverentiam, quæ illi viro ſumma debetur. Multum enim litteras omnes juvit, ac rebus obſcuriſſimis lumen magnum accendit.

Rationes Maffaeii nimium probant.

Quare rem ita aggredior, ut primo loco oſtendam, quæcunque MAFFÆIUS ſive ex Scriptura, ſive Patribus, ſive ipſa ratione in medium profert, nimium probare. Si enim Diabolus plane devictus eſt, ſi tanto tempore vincula non rupit: ſi Servator ejus opera univerſa evertit, planum eſt, etiam poteſtatem obſidendi corpora, animoſque pelliciendi ad malum illi ereptam. Sæpe autem legimus, etiam in Novo Teſtamento eſſe factum, ut Deus permitteret Dæmoni nos infeſtare, & tranſverſum agere. Certe in *Actis Apoſtolorum* Energumeni ſunt plures: atque ipſe Dominus apud *Marcum cap. ultimo verſ.* 17. inter prodigia, quæ eſſent ejus diſcipuli edituri, ponit primo loco: *In nomine meo dæmonia ejicient. Paulus* Corinthium, qui ſe inceſtu fœdaverat, Satanæ vexandum tradidit. *I. ad Corinthios cap.* 5. *verſ.* 5. Denique Satan naſcenti Eccleſiæ ubique obſtitit: neque ſolum Judæos, vulgumque Gentilem, ſed etiam Philoſophos, ac Principes ubique in eam concitavit. Quid quod hunc in diem repugnat nobis, ſtudens hominem impellere in lapſum, ſpargens errores, offundens tenebras, *Verbum Dei* ex animis auferens, immittens prava deſideria, movens affectus, impediens facultates animi, & corporis? * Quæ quia negare MAFFÆIUS non poteſt, & iſtud dabit, regnum Diaboli non eſſe penitus everſum: & illius in nos poteſtatem aliquam ſupereſſe.

* Oracula quoque non continuo a Chriſti morte conticuiſſe hîc prætereo. Nam & iſta circulatorum artibus tribuere ſolent, VAN DALIUM, FONTENELLIUM &c. duces nacti.

Aut dicet forte, Dæmonem quidem poſt Chriſti victoriam poſſe nobis etiamnum nocere, ſed per ſe ipſum, non per ſuos familiares? Id ſi facit, ſuo ſe gladio petit; quia regnum Diaboli magis utique in Diabolo eſt, quam in ſervis ejus: & ſi Deus victoria Chriſti ſalva ſinit eum per ſe nos impugnare, quid obeſt, quo minus idem fieri a ſuis permittat? Nam fines iidem ſunt: & malus Genius, etiam ſolus, poteſt damni tantundem inferre, quantum ejus gregales univerſi: Quod patet non ſolum in obſeſſis, ſed etiam in JOBO, ac maritis SARÆ. Denique debet admittere vir Clariſſimus, Diabolum hodieque non ſolum per ſe ipſum, ſed etiam per alios ad peccatum allicere: atque utinam non per eos, quibus minus quam ſibi poſſit homo repugnare!

Igitur verba Scripturæ de victo Diabolo nil aliud volunt, quam iſtud: ingenti gloria chriſtianæ religionis, ſimul ac Fides nuntiata per orbem, receptaque eſt a mortalibus, vim artium Magicarum concidiſſe aliquando, ac defeciſſe; non penitus omnino; verum ita, quemadmodum ſublatum eſt regnum peccati, atque mortis; quia Servator ſubjecit hunc ſuis, omnemque ejus potentiam tam arcte conſtrinxit, ut ſerviat jam, qui ante dominabatur. Neque negant Libri ſacri, poſt Chriſti victoriam ſupereſſe, quod vincamus; imo hac de cauſa ei virium quid relinquant, ut major poteſtas Chriſti oſtendatur. Affirmant enim, in Chriſtianos, innocentia vitæ, & Crucis virtute munitos nihil adverſarium poſſe. Hunc in modum Homo-Deus, quantum in ſe fuit, evertit totum Diaboli imperium, & reliquias dominationis, quas retinet, non abſtulit;

quo magis patefceret fuperna virtus, fi ille præfidio obvio fugatus, ac pudore oppletus cladem fuam fateri ipfus cogeretur. * Atque ut redeam ad propofitam comparationem cum peccato, ac morte; quemadmodum nil derogat triumpho ejus, qui dicit, etiam hodie peccare homines, & mori: ita nec ille, qui cenfet Diabolum in hunc diem tam per fe, quam per fuos nobis infeftum effe. Nam manente libertate peccatum manet; abluitur tamen quotidie in fanguine Servatoris: & licet moriamur, haud fecus ac illi, qui erant ante reparatam falutem, tamen ipfa mors oftium vitæ pandit nobis. Unde fi quidam etiamnum patent infidiis Dæmonum, a Chrifto devictorum, occafionem virtutis nacti, & in *Chriftum tentatum* velut exemplar intuentes, nullo negotio profequentur triumphum Crucis, atque hoftem velut armis exutum, ac imbellem deridiculo habebunt. **

De Dæmone alligato. Ille ipfe locus *Apocalypfis cap.* 20. *verf.* 1. cui tantum MAFFÆIUS tribuit: quique videbatur quamplurimum faceffere negotii, ne dicam rem confectam dare, fi rite accipitur, non Dæmonem univerfe, fed LUCIFERUM notat, qui loco priore (*Joannis cap.* 12.

---

* Alio loco pauciffimis verbis rem extricavi hunc in modum. *Satis eft a Servatore relicta arma effe ad vim omnem Diaboli infringendam. Atque ita Magia poteft fublata dici, quemadmodum invento, & prabito certiffimo remedio dicitur morbus fublatus.*

** Mitto refponfionem aliorum, qui dicunt, mortem Chrifti primum a futura refurrectione habituram pleniffimum effectum.

verſ. 31. ab ipſo Chriſto *princeps mundi* appellatus eſt. * Iſte per plures ætates innexus catenis, & recluſus in abyſſo, nunquam ſinitur integras gentes, quas ante habuit in poteſtate, ſubigere rurſum, ac velut poſtliminio ſibi vendicare. Solvetur autem hoc elapſo tempore: reſumptiſque omnibus armis ſuis non quidem in privatos, de quibus ſolis hic ſermo eſt, ſed in totam Eccleſiam furere perget. Ita non ſolum hodierni Interpretes, iique doctiſſimi, verum etiam graviſſimi ex Patribus *Joannem* explicarunt; videlicet S. IGNATIUS *Martyr* in *Epiſtola ad Epheſios:* TERTULLIANUS *Libro I. de Idololatria cap.* 9: ORIGENES *Libro I. contra Celſum num.* 67: S. ATHANASIUS *Oratione de Incarnatione Verbi:* S. AMBROSIUS *Libro II. Commentariorum in Lucam ad caput ſecundum:* THEOPHILUS ALEXANDRINUS *Epiſtola Paſchali ad Epiſcopos Ægypti:* S. AUGUSTINUS *Libro XX. de Civitate Dei cap.* 7. & 8. **

Et quoniam de Patribus cœpi dicere, horum aciem, quam MAFFÆIUS educit, tam parum formidamus, ut potius arbitremur, idipſum ſentire eos, quod ſupra docuimus. Nempe locos ſibi faventes affert magna ſolertia, verum alios, apertiſſime a nobis ſtantes, diſſimulat, vel prætERIT.

* Diſſertationem HERMANNI ENGELIKEN *de expulſione principis mundi*, quam anno hujus ſæculi viceſimo *Roſtochii* emiſit, necdum contigit mihi videre.

** Multi in vincto dracone agnoſcunt ſopitas inſectationes Eccleſiæ, ſub mundi finem rurſum ſuſcitandas.

TRANSACTIO VIII.

Quid hic Patribus tribuendum?

Sententiis Patrum in tali negotio res minime conficitur; id quod curſim jam ſupra admonui. Nec enim omnes, vel plerique argumentum attigerunt; aut, cum ejus mentionem facerent, tractarunt ita, quaſi Scriptura, vel Concilium, vel Eccleſia de eo tranſegiſſet. Multi generatim, ac univerſe meminerunt ſive Chriſti victoris, ſive Dæmonis victi: uno verbo, in Veteri Eccleſia Magiæ veritas ne quidem in contentionem vulgo venit. Itaque ex inſtituto nec diſcuſſa eſt aliquando, ut cetera ſolebant, nec omnibus momentis ſuis ponderata.

TRANSACTIO IX.

De eadem Patrum auctoritate.

Audiendi ſunt tamen etiam iſthic antiqui Patres, eoque magis audiendi, quod præditi multo uſu, quod imbuti cognitione Gentilitatis, quod nullo ducti ſtudio partium moderatione ſumma ſententiam dicunt. Atque his in rebus poterant hodiernis Scriptoribus in tota Dæmonologia exemplo eſſe. Quam enim temerarie, quam confidenter, quam immodeſte ſe multi geſſerint, exploratius eſt inter eruditos, quam ut debeam ego hic decantare.

Denique Patrum, præſertim multorum, concordes ſententiæ ſaltem iſtud evincunt, fuiſſe mentem Eccleſiæ iis ſæculis, ut nullum fieret diſcrimen inter Dæmonis infeſtationes proprias, & alienas: ſed nec quemquam exiſtimaſſe, ſe Chriſti victoriam elevare, ſi hanc partem prioris poteſtatis in malo Genio etiamnum agnoſceret.

Nempe Christiani, opinione hac imbuti, tum magis sibi cavebant ab insidiis ejus tam occultis, quam apertis, quo minus se, sive ab ipso, sive ejus emissariis securos intelligebant.

His præmissis, auctoritates Patrum ordine temporis subjicio. Legantur

S. IGNATIUS *Epistola ad Smyrnenses.*

S. JUSTINUS *Martyr Apologia ad Senatum Romanum pro Christianis.*

S. IRENÆUS *Libro I. adversus Hæreses cap.* 7. 9. 13.

TERTULLIANUS in *Apologetico cap.* 23. *&* 47: & *Libro de Anima cap.* 39. *&* 57.

CLEMENS ALEXANDRINUS *Libro II. Stromatum.*

ORIGENES *Libro III. contra Celsum num.* 135.

S. CYPRIANUS *Libro de Idolorum vanitate.*

ARNOBIUS *Libro I. adversus Gentes.*

LACTANTIUS *Libro II. Institutionum Divinarum cap.* 17. *&* 18.

S. ATHANASIUS in *Vita S. Antonii Abbatis.*

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS *Catechesi* 2. *&* 6.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 39.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Libro I. de Vita Mosis.*

S. AMBROSIUS *creditus* in *Epistola ad sacram Virginem Demetriadem.* Habetur nunc in *Operum Appendice.*

S. EPIPHANIUS *Hæresi* 33. *num.* 12.

S. HIERONYMUS in *Vita S. Antonii:* in *Vita S. Hilarionis:* in *Commentario ad Caput* 6. *Epiſtolæ ad Epheſios*, ac alibi ſæpe.

S. AUGUSTINUS *Libro de Divinatione Dæmonum cap.* 5. & 6: *Libro de Agone Chriſtiano cap.* 3. & 4: *Libro V. de Civitate Dei cap.* 19: *Libro XXI. de eadem Civitate cap.* 6: *Libro II. de Doctrina Chriſtiana cap.* 19. &c.

Mitto alios complures, præſertim conſequentium ſæculorum. * Porro ſententias non tranſcribo; ſunt enim tam multæ, ut noſtram tractationem, copia rerum aliunde laborantem, ducerent longiſſime, ac proferrent; præſertim ſi integræ illæ cum ceteris darentur, quæ ſive præcedunt, ſive conſequuntur. Quod utique in gravi controverſia non congruens tantum, ſed etiam neceſſarium lectores ducunt. Sed verba beati AUGUSTINI recitanda ſunt, tam propter brevitatem, quam nervum. Cum nempe de *multis miraculis*, & *dæmoniacis artibus* dixiſſet, quas mali Spiritus *tam per ſuos*, *quam per ſe ipſos* efficerent, iſtuc ſubdit: *Quæ ſi negare voluerimus*, *equidem ipſi*, *cui credimus*, *ſacrarum Litterarum adverſabimur veritati.* Hic aperte S. Doctor de Magia vere dicta ſermonem habet; nam artes circulatorum, & ludibria illa, quibus celeritas ſenſus perſtringit, nemo negat, nemo ambigua habet.

* Ad reſiduam vim Dæmonis probandam ex Patribus congeſſit multa MARTINUS GERBERT *Liturgiæ Alemannicæ Parte II. Diſquiſitione* 7.

TRANSACTIO XI.

Itäque apud hos Doctores alia omnia habentur, quam nobis adversarius exhibebat. Et *primo* quidem fuisse olim quamdam artem, quæ ope maligni Spiritus mira præstaret; præsertim apud profanos, & falsorum numinum cultores. *Secundo* hujus effectus nec omnes veros, nec omnes in speciem fuisse compositos. *Tertio.* Eandem artem vel in Novo Fœdere factitatam subin: ac vim nocendi, quam hostis habebat, non ablatam, verum coërcitam esse. *Quarto* Magiam publicam apud nos nunquam, privatam raro dari. Hæc inquam ex Patrum sententiis posse confici, tam certus sum, ut provocare ad illas, & pro rei veritate sponsorem me præstare palam ausim.

Summa doctrinæ ex Patribus.

TRANSACTIO XII.

Etiam usus Ecclesiarum stat pro ista moderatione. Est autem ille publicus, constans, incorruptus. Quod patet ex pœnis auctoritate sacra, & profana in maleficos statutis *: ex providentia Episcoporum, peccatum Magiæ reservantium: ex Crucis Dominicæ repetita significatione: ex cultu exuviarum sacrarum: ex officio Exorcistæ, & adjurationibus, quæ fiunt hunc in diem ante baptismum: ex consecratione fontis ejus: salis item, thuris, ignis, aquæ pal-

Usus Ecclesiarum in hac parte.

* Vide saltem Concilium LAODICENUM *Canone* 36. IV. CARTHAGINENSE *Canone* 89: & ELIBERITANUM *Canone* 6.

marum, ciborum, bullarum cerearum &c. Nemo eſt enim (de Catholicis loquor) nemo eſt inquam, qui non perſuadeat ſibi, iſta præſidia contra fraudes, ac inſultus nefarii hoſtis quid valere.

Quod ſi omnia hæc officiunt victoriæ Chriſti: ſi nituntur communi errore, metuentium ſibi a Diabolo, nemo tum intellexit Scripturas: nemo habuit Servatori honorem: nemo Oeconomiam ſalutis, fineſque redemptionis humanæ introſpexit, & aſſecutus eſt.

TRANSACTIO XIII.

Sacri Canones. Canones, & Decreta Pontificum & ipſa faciunt fidem, hodieque locum eſſe Magicis artibus, & commercio cum Dæmone.

Oppoſitam hic viam inimus, & facere pro nobis docemus, quæ ſolent contra nos adhiberi; Canones videlicet, quorum ſententia res Magicæ ſunt meræ illuſiones, ac phantaſmata. Vide *c.* 12. *&* 14. *XXVI. q.* 5.

Reſpondendum: Recte illuſiones, & phantaſmata vocant; verum ejuſmodi, quæ veniant a Dæmone, mortalibus fucum faciente. Repetantur hoc loco, quæ ſupra *Tranſactione V.* de vetere Magia ad mentem Patrum repoſui; nam recidunt eodem. Porro Canones favere mihi, perſpectum habeo. Cur enim in homines ſubſidio ſolius celeritatis, ac fraudum ſcenicarum mira patrantes exquiſita ſupplicia, extremos cruciatus, ipſamque mortem conſtituerent? Equidem in promptu reſponſum habent, ſummos Pontifices,

ces, quando in Decretis, Bullisque suis hæc decreverunt, quæstionem non expendisse usitato judicio; verum omnem rem retulisse ad eos, qui causis præfuerunt. Judices autem falli frequenter posse: ipsasque sententias capitales, quæ toties in veneficos fuissent latæ, suspicionibus præbere amplissimum locum.

Respondendum est primo: Argumentum non eo valet, esse nullos veneficos, sed pauciores, quam vulgo existimetur: atque hoc ipsum est, quod volumus.

Respondendum secundo: Summi Pontifices, etiamsi quæstionem in quosdam homines detulerint ad judices causarum capitalium, non solum tamen de illa quæstione singulatim, verum etiam de Magia omni universe locuti sunt. Expende illa, & mecum senties haud gravatim.

TRANSACTIO XIV.

Sententia de judiciis adversum Sagas.

Judicia, quæ superiore sæculo in Sagas, & ceteros, nomines Magiæ postulatos in Germania exercita sunt, videntur vitiis pluribus laborasse; imo pleræque harum mulierum insontes deflagrarunt.

Cum in Germania aliunde turbatum esset, belloque Suecico divina, & humana miscerentur, malum novum incubuit, causæ capitis institutæ in omnes, qui suspicionem de se Artis Magicæ præbuissent.

Per incredibilem vulgi ſuperſtitionem, ſtudiumque calumniandi calamitates publicæ venire a Sagis dicebantur. Unde omnes vociferari: inquirerent Magiſtratus in hanc peſtem, quæ ſe una cum bellis e Septemtrione effudiſſet! Et certe Sueci profana multa intulerant.

Negotium dant Principes tam Præfectis, quam Conſiliariis, ut de re cognoſcant. Neſcire hi primum rationem aggrediundæ, ne dicam expediendæ ejus: & dum hærent, ne quid faciant temere, vel omittant, clamoribus publicis urgentur ad negotium maturandum. Videbatur enim mora periculum habere. Ergo per eam feſtinationem multa inepte, & præter jus adminiſtrari. Acceſſerat enim ſtudium obſequendi, & quidam exhauſto ærario conſultum ibant.

Sic judicia graviſſima paſſim inſtituta. Mittuntur Quæſitores, qui, ut fere, cum impetu multa agunt, & ad primum rumorem quaſdam fœminas capiunt. Hæ ſi eſſent malæ vitæ, improbitatem extremam præſumere pronius fuit; ſi bonæ, a ſimulatione virtutum creabatur invidia. Captarum trepidatio conſcientiæ; conſtantia Diabolo tributa. Aderant autem e fæce hominum parati inquirere in omnem vitam, & dicta, factaque ſingula in culpam Magiæ detorquere. Malevoli deinde occaſionem pulcherrimam nacti.

Paulatim ad ſuſurros, ad indicia, ad labem nominis ſunt aliæ, atque aliæ ad quæſtionem abreptæ. Nam quidam velut ſtupor obtinebat homines: & per incredibilem dementiam credendi facilitas in dies alebatur.

Sed neque patronus, nec ſpatium purgandi conceſſum; quod dicerent fanatici, eſſe *crimen exceptum:* & quiſquis defendere vellet de ſe ipſe ſuſpicacibus præberet peſſimam opinionem. Pugnabant quædam fiducia cauſæ, & vi dicendi terrebant Cognitores. Iſtas obſtinatas habebant: eratque novum crimen in cauſa capitis fieri eloquentem.

Expediuntur tormenta: &, ne Saga ſe muniat adverſus dolorem, raſa corpore toto, & a parte, qua ſexum monſtrat, excuſſa petulanter, ſuſpenditur, interque cruciatum monetur identidem: edic quod res *eſt!* vel potius: ream te ſine ambagibus profitere. Si fatetur, conclamata eſt ſalus. Si negat, inſtant nova tormenta, & contra omnes leges ter, quater iterantur; quod exceptum, ut dixi, eſt crimen, nihilque admittit uſitatæ æquitatis.

In tanta agitatione mentis, & corporis volvit oculos miſerrima mulier? requirit amaſium. Figit? reperit illum, hæretque in vultu ejus. Patitur deliquium? compacto ludit. Lictorum fallacia etiam notas, vel ſtigmata affinxit. Quis enim in membro maculam non habet? Tum vero fortior cruciatus; in quo ſi vitam ponit, amaſius ei, ne fidem frangat, guttur eliſit.

Etiam quæ tormentis ſuperiores evaſerant, retinentur in vinculis: & dedecus eſt Quæſitori ſemel captam educere, præterquam ad rogum.

Ipſi Sacerdotes per imperitiam cumulabant malum. Aliæ enim luſtratæ exorciſmis, aliæ alio

translatæ præbuerunt nova indicia. Porro ex Ecclesiasticis sagaciores, quantumvis expetit a reis, velut hostes justitiæ publicæ arcebantur ab omnibus custodiis, neque poterant publicam causam agere.

Sed redeo ad quæstiones. Vix quædam impatientia doloris se ream dixit, & ocyus complices ad unam omnes edicere jubetur. Nescit? Quæsitores suggerunt: Atque ita in infinitum tractæ causæ ad res intricatas nomen adagio fecerunt: **Ein rechter Hexenproceß!**

Ita ex rumore, diditaque fama pruritus vestigandi, & accusationes: ex his vincula, quæstiones, cruciatus: eratque spes nulla evadendi, involutis una, tortisque innumeris. Cum enim secreti ratio nulla haberetur: atque minima indicia tollerentur in majus, qui se audissent accusari, arripiebant fugam; vel si manebant ex vulgari persuasione, ne sibi consulerent, a dæmone retinebantur: quare quovis modo firmabant suspicionem.

Merita FRIDERICI SPEE.

Cum omnia pessum eunt, cum intercedere judiciis nemo audet, & nulla jam ætas, conditio nulla, si modo habet obtrectatorem, a flammis secura agit, uno verbo, cum malum, quod incendia abolere debuerant, incrementa hinc sumit, FRIDERICUS SPEE, Societatis Jesu, illustri genere, Theologus, ac Jureconsultus, qui rebus interfuit, innocentum lacrimis moveri se passus est; ut libro perscripto per supremum tribunal hortaretur, parcerent aliquando tam Catholico, quam Germano

nomini, & quæstionibus finem imponerent. Cum plausu exceptum opuscusum deinceps prela multa fatigavit, & Principes diu delusos ad misericordiam inflexit. Necesse autem habeo, ex illo quædam transcribere; tum, quod infrequentia nunc exemplaria sunt, tum, quod perperam solet a multis allegari. Ait ergo ad *Dubium Undecimum: An credibile sit*, (a Deo) *permissum id esse de facto, ut innocentes quoque* (mulieres) *involutæ sint?*

"BINSFELDIUS, & DELRIUS id videntur „ non putare; sed respondeo, nobis dubium „ non est, quin multæ sæpe innocentes de facto „ involutæ in eandem cum ceteris pœnæ com- „ munionem sint. Rationes istæ sunt:

Exscribitur Speeus gravissima de causa.

„ *Ratio I.* Testatur TANNERUS „ multos doctos, & prudentes viros, „ Theologiæ etiam Professores, e qui- „ bus aliqui non parvo tempore in foro conscien- „ tiæ has causas Sagarum tractassent, professos „ esse, timere se, ne quo forsan inordinato pro- „ cedendi modo multis etiam innocentibus fiat „ injuria; quod utique magnum est pro opinione „ nostra præjudicium.

„ *Ratio II.* Scio item & ego viros quosdam „ doctos, & religiosos, qui cum easdem causas „ aliquamdiu tractavissent, non solum id timere „ se, sed vero minime dubitare affirmabant. Ita- „ que novi Principem, qui cum in Sagas ali- „ quanto tempore inquisivisset, tum autem, ne- „ scio qua occasione, rogavisset ex eo Sacerdote, „ qui conscientias curabat, & cremandos ad sup-

„ plicium educebat, putaretne ſerio, quaſdam
„ vere innocentes cum reliquis abreptas eſſe:
„ atque is contractis humeris ſincere reſpondiſ-
„ ſet, nihil quidem ſe de hac re dubitare, imo
„ per animæ ſuæ ſalutem aliud affirmare non
„ poſſe; ita dictum hoc cordi, curæque ſumpſiſ-
„ ſe, ut continuo ſubſtiterit, ac progredi ſuos
„ in negotio vetuerit.

„ *Ratio III.* Si & mihi aliquid Lector con-
„ cedit, fateor, me ipſum nonnullas ſuperiori-
„ bus annis in diverſis locis ad mortem comita-
„ tum fuiſſe; de quarum innocentia tam minime
„ etiamnum vacillo, quam nihil fuit uſpiam ſtu-
„ dii, & induſtriæ pene nimiæ, quod non ad-
„ hibuerim ad veritatem detegendam.

„ Stimulavit me curioſitas (quid enim diſſi-
„ mulem?) & pene ultra metam traduxit, ut
„ in re incerta certum aliquid cognoſcerem: ne-
„ que aliud tamen niſi ubique innocentiam de-
„ prehendi: quam cum apud me non paucis
„ nec futilibus argumentis convictam tenerem:
„ neque tamen (ob certas quaſdam cauſas) ju-
„ dicio intercedere liceret, facile æſtimare eſt,
„ quo cum animi mei ſenſu tam miſerandis mor-
„ tuis interfuerim. Homo ſum, & falli poſ-
„ ſum: non id unquam inficias iturus ſum.
„ Quando tamen, poſtquam diu multumque cum
„ captivis illis tum intra, tum extra confeſſio-
„ nis ſacramentum egi: poſtquam animos omni
„ arte multifariam ſuſque deque verſavi: in
„ omnem me pene partem obverti: divina, &
„ humana ope, ac conſilio uſus ſum: indicia,
„ atque Acta pervidi: cum judicibus ipſis, quan-

„ tum licuit salvo sigillo confessionis, disserui:
„ accurate omnia perpendi, argumenta singula
„ apud animum meum disputavi; nihilominus
„ aliud judicare non potui, quam crimine va-
„ care, quæ reæ putabantur; non existimo levi-
„ ter facere, si me falsum esse difficulter cre-
„ dam &c. &c.

Et infra *Dubio undetricesimo*, *an tortura, cum adeo periculosa sit, ex usu tolli debeat?*
" Respondeo. Docui supra, in extirpandis ex
„ agro Reipublicæ zizaniis ea plane removenda
„ esse, quæ morale, & frequens periculum in-
„ vehant simul evellendi tritici. Ita ratio natu-
„ ralis, ita ipse legifer noster Christus, illiusque
„ que verborum in Ecclesia Catholica legitimi
„ interpretes ajunt; ut negari non possit.

„ Docui præterea, torturas seu quæstiones
„ ita hodie administrari solere, ut revera fre-
„ quens, & morale periculum ipsi tritico minen-
„ tur; quod adeo verum est, ut de facto ita
„ sæpissime accidisse, ac triticum plurimum evul-
„ sum esse jurare audeam, mihi moraliter esse
„ certum.

„ Quibus tanquam majore, & minore propo-
„ sitione firmiter collocatis, *Conclusio* in bona
„ forma *Figuræ primæ* necessario infertur, *tol-*
„ *lendam igitur penitusque ex usu proscriben-*
„ *dam esse torturam: aut saltem ea omnia, &*
„ *singula corrigenda, aliterque moderanda, quæ*
„ *hanc periculi necessitatem torturis imponunt.*
„ Alterutrum evadi non potest.

„ Atque hanc doceo Principes, conſcientiæ „ rem eſſe, quam non ipſi ſolum, ſed & eorum „ Conſiliarii, & Confeſſarii, ſi diſſimulatione, „ ac taciturnitate ſua prætereunt, coram judice „ ſupremo explicatam dabunt. Nolo, ut mihi „ credant: conſulant Theologos, & invenient, „ in humano ſanguine ludi non poſſe, nec ca„ pita noſtra eſſe pilas, quibus pro libitu levi„ ter, temereque jactare liceat; ut nunc quidam „ optimorum Principum non optimi Inquiſitores „ facere videntur, cum ad leviſſimum quemque „ ſuſpicionis rumuſculum ad adeo periculoſas „ torturas proſiliunt: & quidem illos etiam in „ quæſtionem vocant, quorum apud omnes pro„ bitatis, & integerrimæ vitæ fama vel graviſſi„ mis indiciis elidendis ſola ſufficeret. Ubi „ nunc quod in jure metus torturæ ipſi torturæ „ æquiparatur: quodque graviſſimi auctores hunc „ ſolum incuti ſufficere putant? Cur non id po„ tius amplectimur: & non niſi ſeveriſſimi eſſe „ volumus in re tam periculoſa? Quidquid ſit, „ ad hoc quamprimum Principes animum con„ ferant, ut omni qua poſſunt & ſua, & ſuo„ rum Conſiliariorum induſtria tum quæſtionibus „ moderationem, tum innocentibus majorem ſe„ curitatem inveniant. Syllogiſmus, quem dedi, „ bonus eſt, ſtringit concluſio: & vel tolli quæ„ ſtiones, vel abſque dicto innocentum periculo „ exerceri debere convincit. Alterutrum horum „ effugere non eſt; viderint quid agant. Imus „ omnes ad æternitatis tribunal; ubi ſi de quo„ vis verbo otioſo explicanda ratio eſt, quid „ par eſt de humano ſanguine exiſtimare? Urit „ me caritas, & incendio interiore vexat; ne „ non omni ſtudio iis me incendiis interponam,

„ quæ metuo, ne ſiniſterior quis flatus etiam in „ immerentes impellat. Argumentum eſt quod- „ dam penes me, occultum adhuc, revelandum „ tamen ſuo tempore, ac loco, quo id mihi „ penitus perſuadeo, ut nullatenus dubitem, „ *inter quaslibet Quinquaginta ad rogum* „ *condemnatas vix quinque, aut vix duas* „ *nocentes intereſſe.* Audeat vero quiſquam „ Magiſtratuum id manibus palpare velle! dabo „ operam ſuo tempore, ut palpet; nam & ſu- „ pra promiſi *Dubio XI. Ratione* 8; ſed fruſtra.

Rurſum *Dubio triceſimo*, *Documento undeviceſimo:* " Proderit porro Confeſſariis reorum, „ totum hunc noſtrum Commentarium non oſci- „ tanter legiſſe: & quæ dicuntur coram Deo „ ſæpius *cum aliqua mora* expendiſſe. Ego id „ cum juramento depono, me quidem nullam „ hactenus ad rogum duxiſſe, de qua omnibus „ conſideratis prudenter ſtatuere potuerim, fuiſ- „ ſe ream. Idem ego a duobus aliis accuratis „ Theologis audivi. Neque non omnem tamen „ induſtriam adhibui, qua ad veritatem penetra- „ rem, ut dixi ſupra *Dubio XI. Ratione* 3. *

Adduntur alia quædam ex eodem ſapientiſſimo Theologo.

„ Dicam aliquid, quod audire cu- „ piam, quicunque aures audiendi ha- „ bent, maxime vero ſacratiſſimum „ Imperatorem, Principes, eorumque „ Conſiliarios: Fingamus enim de induſtria atro- „ ciſſimum aliquod *exceptum* crimen, quo no- „ ceri ſibi vulgus apprehendat: atque ejus deinde

* Hæc verba horrorem incutiunt legenti.

„ disperſa fama in id Inquiſitores ſeſe accingant „ iiſdem viis, quibus nunc in maleficia. Ajo „ ſane, ſi in Germania paulo poſt pauciores „ erunt ejus criminis rei, quam nunc magiæ, „ ſiſtam me ſummo Magiſtratui, & in flammas „ vivus injiciar. Atque ego quidem, ſi his ipſis „ verbis utentem audiam vel ignorantiſſimum de „ plebe, vereri ſane incipiam, ne non ſine „ magnis cauſis, quas ipſe novit, ſic loquatur: „ & ad minimum reflexa mente hæream: & me- „ ditatione aliqua dignum putem, quod homo „ rationalis non plane mente dejectus, ſic con- „ fidenter, cum pacatus eſſet, auſus eloqui ſit.

Iterum *Dubio quarto & tricesimo*, *Ratione prima*. " Pleraque omnis hodierna fama a ri- „ xis, litigiis, contumeliis, detractionibus, fal- „ ſis ſuſpicionibus, judiciis temerariis, reſponſis „ divinorum, invidia, irriſione puerorum, ac ſi- „ milibus initiis ortum ſuum ducit: & incredi- „ bili garriendi, nocendique libidine, quam nul- „ la pœnæ coërcitio caſtigat, latiſſime diffundi- „ tur: dictat igitur recta ratio, nihil in ea mo- „ menti ſtatui poſſe, cum male fundata ſit. Mi- „ ror ego ſæpenumero, cum cogito, in quæ „ tempora perverſiſſima incidimus. Plena ubi- „ que omnia detractionibus, contumeliiſque ſunt: „ & quidque nobis ſiniſtrum occurrit, continuo „ hæ, & illæ, quæ nos incantaverint, animo „ deſignantur: curritur ad divinatores, oneran- „ tur ſuſpicionibus honeſtiſſimæ perſonæ, ſpar- „ gitur in occulto temerarii judicii virus: tanto „ utique nocentius, & ſceleſtius, quanto ſecre- „ tius, ac tutius, dormiente Magiſtratu. Ser- „ punt ſibili per domos, atque urbem: alii aliis

„ ſe jungunt, dum paulatim ubi vires ſumpſe-
„ re, in apertam, ſed ſpuriam famam erum-
„ pant. Ne tum quidem Magiſtratus evigilat;
„ ut a quibus didita peſtilentiſſima aura ſit, in-
„ quirat; ſed ad ſpuriæ vocis clangorem, in eas
„ ſe accingit, quærit, capit, torquet, reas eſſe
„ vult per fas, & nefas, quas iniquus ille ru-
„ mor oppreſſit. Res indigna! In venenatas
„ primum linguas inquiri oportebat, eas detra-
„ ctoribus, & calumniatoribus exſcindi, atque
„ ad infamem columnam ſuffigi: ac cum hujuſ-
„ modi aliquot, non dico centenæ; ut æquum
„ ſane erat, ſed vel quinæ, aut ſenæ propalam
„ pependiſſent, tum denique ex clamore famæ,
„ ſic ſaltem aliquantulum correctæ, momentum
„ aliquod ſuſpicandi arripere, & ſi alia quoque
„ indicia juſta accederent, procedere. „

Denique *Dubio quadrageſimo octavo Reſpon-ſione II.* " Omnino hic inſerendum eſt, quod
„ nuperrime contigit loco celebri Germaniæ, in
„ quo omnia pene in cineres conciderunt. Vo-
„ caverat ad menſam ſuam Princeps religioſos
„ duos, viros ſpectatæ virtutis, & doctrinæ.
„ Inter epulas deinde Princeps ad alterum eo-
„ rum: Mi Pater! inquit, exiſtimaſne ex æquo,
„ & recto geri, cum eos hactenus in nervum
„ abripimus, qui a decem, & duodecim ſagis
„ denuntiati ſunt in ſaltibus comparuiſſe? Ve-
„ reor non parum, ne mille-artifex ſuis aſſe-
„ clis illudat, & non æque tuta ſit ad verita-
„ tem via, quam per haſce denuntiationes ſter-
„ nimus; præſertim cum & viri graviſſimi, do-
„ ctiſſimique non pauci paſſim incipiant recla-
„ mare, & conſcientiam nobis commovere. Dic

„ igitur, quid ſentis? Tum ille, ut eſt acer ſub-
„ inde, & profuſus impetus eorum, qui non
„ ultra pedes quatuor a fornace abſiti philoſo-
„ phari ſolent: Quid malum! inquit, quod nos
„ anxios hìc facit, ac conſcientiam conſtringit
„ tot teſtimoniis convictam? Scrupulus ſit exiſti-
„ mare, id unquam Deum permiſſurum, ut in-
„ nocentium perſonæ ita traducantur. Non eſt,
„ quod ad tantum denuntiationum numerum Ju-
„ dex hæſitet, quin tuto progrediatur. Ad quod
„ cum rurſus a Principe replicatum eſſet: atque
„ ultro, citroque multa in utramque partem
„ hinc inde mota: videreturque religioſus peni-
„ tus obtinere velle, concludens tandem diſpu-
„ tationem Princeps: Atqui vero, inquit, do-
„ leo, mi Pater! tuam vicem, qui in re capitali
„ tuomet ore te confodiſti: nec habes adeo,
„ quod reclames, ſi te quoque in cuſtodiam re-
„ cludo; quippe quem a ſe in conventibus ſuis
„ viſum non minus quindecim denuntiarunt.
„ Neve putes, rem ſerio non agi, nihil impe-
„ dit, quin e veſtigio Acta afferri jubeam, ut
„ te ipſe ibi legas, tot teſtibus, quot nec ipſe
„ poſtulabas, convictum. Obſtupuit vir bonus,
„ & dejecto vultu non habuit, quod ſic ſubito
„ opponeret, præter confuſionem, & e ſumma
„ facundia ſilentium.

„ Non fabulam narro. Res ita geſta eſt, ut
„ dixi. Locum, & perſonas deſignare, non eſt
„ neceſſe. „

Hæc ſunt verba Clariſſimi ſcriptoris; quæ non, ut alii, ſive mutila, ſive mutla ex ore, fideque aliorum excepimus; verum, ut ſunt in

Editione ſecunda Francofurti, *ſumptibus Joannis Gronæi Auſtrii anno* 1633. curate tranſcripta repræſentamus.

TRANSACTIO XV.

SPEEUS aparte pro veritate alicujus Magiæ.

Quid vero hinc concluditur. In Nova Lege Magiam non eſſe, nullumque cum dæmone commercium haberi? Id ſi quis exiſtimet, quam fallatur vehementer, a nemine rectius, quam a SPEEO oſtenditur. A SPEEO inquam, qui ipſum hunc librum illis verbis auſpicatur: *Cautio criminalis*, *ſeu de proceſſibus contra Sagas liber. Dubium I. an Sagæ*, *ſtriges*, *ſeu malefici revera exiſtant? Reſpondeo*, *quod ſic. Etſi enim ſcio*, *nonnullos in dubio poſuiſſe*, *etiam Catholicos*, *& doctos*, *quos nominare non attinet: etſi etiam quidam non temere ſuſpicari ſibi videntur*, *fuiſſe aliquando in Eccleſia ea tempora*, *in quibus de corporalibus Sagarum conventibus creditum non fuit: etſi denique ipſe ego*, *dum cum variis ejus criminis reis in carceribus egi frequentius*, *ac attentius*, *ne dicam curioſius*, *ita non ſemel animum involvi*, *ut quid tandem hujus rei crederem pene ignoraverim; nibilominus*, *ubi ſummam tandem colligo perplexarum cogitationum*, *id omnino tenendum exiſtimo*, *revera in mundo maleficos aliquos eſſe: nec id ſine temeritate*, *& præpoſteri judicii nota negari poſſe &c.*

Ita loquitur is ipſe, per quem ſtetit, quod Germania poſt mille innoxios homines qua ferro, qua igni ſublatos reſpexit ſeſe, feralia judicia ſuſtulit, rogos extinxit, & inuſtam nomini teterrimam

labem abſterſit tandem. * Atqui in cauſa propoſita facilius ei erat futurum, hodierno more Magiam ipſam inficiari, quam tanto molimine, nec minore invidia, ac periculo palam tot judices, conſiliarios, denuntiatores, teſtes, tortores injuſtitiæ & immanitatis extremæ poſtulare.

TRANSACTIO XVI.

De congreſſibus nocturnis Sagarum.

Multi ſunt hodie, qui quoties in ſermonem Magia venit, verſi ad *conventus Sagarum*, in iis deridendis eloquentiæ vim maximam conſumunt. Qui ſane non vident, extra oleas ſe ferri, & a ſtatu quæſtionis penitus deflectere. De hilariis Magorum hic nulla contentio. Quam parum his tribuam, vel inde patet, quod in tota lucubratione nec verbulum de Sabbatho feci. De Magia generatim quæro. Hæc autem eſſe ſine choris, ſine orgiis, & nocturno congreſſu poteſt. Qui fidem tam portentoſis, tam turpibus, ſupraque modum nefandis habent, debent teſtes producere; non qualeſcunque, verum idoneos, locupletes, incorruptos, qui rebus interfuerint. Nam quid Sagæ confeſſæ ſint inter tormenta, non moror. Quod ſi alibi his talia exciderunt, ut ſummum probat, Diabolum turbata phantaſia, vel etiam per ſomnum illa obtuliſſe. Paulo pronior hic fuit humana credulitas; quæ maxime in paradoxis, ac mirabilibus vulgo illudit. Verum quam iſta ſint fabuloſa, alii oſtenderunt. Ex inſtituto

* Adoleſcente ſuperiori ſæculo. Porro hanc laudem vel ipſe LEIBNIZIUS SPEEO impertit.

causſam omnem ventilavit HIERONYMUS TARTAROTTI *de Congreſſibus nocturnis Sagarum*; quem, quod paſſim proſtat, adire lector ſine me poteſt. Nolo enim apertum oſtium effringere, magnoque conatu locare operam, ubi fructus ternuiſſimus extet.

TRANSACTIO XVII.

Quid utilius ſit credere de Magicis rebus.

Vanum eſt pugnare, quæ opinio de Magia plus proſit. Non enim id agitur in rebus facti; ſique ageretur, etiam hoc ex capite eſſet pro nobis ſtandum. Videtur enim expedire, ut homines communiant ſe adverſum miniſtros diaboli, reddanturque cautiores. Ne ergo inculcent, perſuaſionem de fraudibus, & vanitate iſtarum artium habere magnam utilitatem. Nam *primo* viri perſpicaces, magnique uſus oppoſitum docent. Putant enim ratione hac latius proferri imperium diaboli. Vide HENRICUM MARIAM BOUDON in *Vita P. Joſephi Surin Parte III. cap.* 4. *Secundo* fortaſſe perſuaſio, *eſſe nullam Magiam* nocet minus, atque illa, *eſſe admodum frequentem.* Ut enim alia mittam, hac ratione avertuntur mortales ab ope apud Dæmones quærenda. Sed nempe & illud dat plurimum damni, ſi vulgo credant, artes magicas a circumforaneis non diſtare. Homines enim ſocordes reddit: atque eo deducit, ut minus jam effugiant tot technas inimici. Sed, ut dixi, extra rhombum hic ſaltamus. Nec enim de utilitate rei, verum re ipſa ſtatuere oportet.

De Magia, & Energumenis

Non poſſum hîc, ut in loco, omittere, quod Græculus quidam ex gene-

apud Protestantes. re eorum, qui inter ſubſellia fœminarum, & compotationes æqualium doctiores his evadunt, quos vident libris impallescere, objecit mihi (ut quidem rebatur) palmare omnino, ne dicam inextricabile argumentum. *Dum vivo*, ajebat, vixit autem minimum viginti annis, *nunquam audivi*, *apud Proteſtantes aliquid rerum magicarum fuiſſe deprehenſum. Sed neque Energumeni apud eos ulli reperiuntur.* Reſpondi obiter ac paucis. Non ergo opinio eſt, quod magos, dæmoneſque tollit. Sunt enim apud Proteſtantes doctiſſimi viri, qui ſane vehementer contendunt, *Magos*, *Energumenos*, *Spectra* dari. Porro tam parum credam apud Proteſtantes nullam, quam apud nos frequentem Magiam eſſe. De Energumenis Viſiſque eſt idem judicium. Inter exempla invicta numero, quod M. WALTHERO obtigit, eſtque ſatis notum.

Obſeſſos apud nos ſe multi ſimulant, & mentiuntur in re graviſſima, non aliam ob cauſam, quam mendicitatis, fugamque laboris. Unde vel ideo ſum ſolitus dicere, non a ſimplici, ſed duplici dæmone, *ſpiritu Mendacii* ſcilicet, & *Acediæ* hos inſideri.

TRANSACTIO XVIII.

Illi, qui Magicas artes, etiam in Vetere Teſtamento pro ludibrio ſenſuum habent, argumento a Chriſti victoria, quod eſt præcipuum contra nos, abſtinere deinceps debent.

Quî enim jam utantur? ad ruborem ſuum? Riſum non tenui, cum hominem pro imperio conſue-

confuetudinis Magiæ infeſtum, ſed adactum vi argumentorum (ut fit inter diſceptandum) audirem ſemper huc ſe recipere: Heus tu, cogitabam, cui honor Servatoris tantopere cordi eſt! Si Magia non fuit præterquam hiſtrionica, quem tu triumphum aſſignas Homini-Deo? Si fructus victoriæ præcipuus eſt de dæmone relatus, in hunc modum vix habuit, quod triumpharet. Aut ſuſtulit forte, quod nuſquam erat? Hoſtis ſcenicus non poteſt habere alium, quam ſcenicum, id eſt ridiculum victorem. Videlicet de ſua, non de Chriſti victoria illis res eſt: atque ideo, ne victi videantur, illum volunt omnia viciſſe.

CLAUSULA PROBE NOTANDA.

Extrema duo hîc cavenda; & eſt tranſactum.

Magiam aliquando fuiſſe planum feci. Si nunc tota jacet, penituſque everſa eſt, fallunt nos teſtimonia locupletiſſima: fallunt pœnæ in Veneficos ſtatutæ: fallunt ſententiæ ſummorum Tribunalium: fallunt ritus & ceremoniæ Eccleſiæ; fallunt *Reſervationes* Epiſcoporum: fallunt optimi Hiſtorici: fallunt *Acta*, & monumenta publica: & jam nihil relinquitur, quam ut ſtudio novitatis nobis ſolis arrogemus fidem, quam ceteris derogamus. Loco omnium hîc provoco ad *Acta ſupremi Senatus Pariſiis anno* 1682. *contra paſtorem Paciacenſem*, quæ convelli pacto nullo poſſe Bergierius oſtendit. * Atqui multa ejus

* In celebri opere: *Certitude des Preuves du Chriſtianiſme.*

generis apud LE BRUN, CALMET, LABAT, & AUCTOREM *Magiæ assertæ*.

Sed lego dicterium nuperrimi auctoris, quod instar oraculi *Tractatui Critico* inseruit, sibi ita applaudens, ac si uno ictu jugulasset omnem Magiam, deque toto humano genere præclarissime meritus esset. Sic autem inquit: *Persuasio, quod in Ecclesia sit locus Magiæ, est orta tum ex historia Gentili, Veterique Testamento, ubi eam viguisse probabile est; cum maxime ex fictis, mirisque eventibus, quibus dici vix potest, quantum tribuere soleat non vulgus duntaxat, verum & docti, qui sunt judicio tenuiore: neque mentem notitia fraudum, ac virium occultarum satis subegerunt. Hi porro eas fabulas, atque artes prodigiorum instar diffundere, rerumque adjunctis plausibilibus vestita obtrudere amant, tam lectoribus, quam auditoribus suis. Inde fama, mendax semper, omniaque in majus tollens, quæ sensim in Tribunalia, in sacros Canones, in scripta Patrum, inque ipsos Ecclesiæ Rituales libros irrepens, istuc effecit, ut temporis decursu potestas Diaboli vixdum sepulta revivisceret vel inter Christianos, ac denique pro comperta haberetur.* * Affert dein exemplum de SIMONE MAGO: notatque in libris *Ritualibus*, ubi unica vice adjuratur infestus Dæmon, sequentia legi: *Da locum Spiritui Sancto, qui per beatum Petrum Apostolum suum te manifeste stravit in Simone Mago.* Ac persequens suam sententiam ista subdit: *Ubi illico incurrit in ocu-*

* Argutias has meis verbis latine reddidi.

los, precationem non certo judicio, vel effato niti, verum facto quodam minime explorato; quod æque vocatur in dubium, ac vita Apollonii, aliæque hujus generis fabulæ, quarum multæ in magnis conflictibus Magiam velut machinam adhibent ad evadendum. Ego cavillos in minimis ponens, nolo feorfim cum eo contendere. Nam cum iftos potius verbis ornet, quam firmet argumentis, negantur minore negotio, quam affferuntur. Et quidem falfo dicit, in Libris *Ritualibus* Diabolum femel tantum adjurari, ut ceffet a maleficio. Plane enim *Cardinalis* THOMASIUS in fuis *Monumentis Liturgicis* * exhibet *Benedictionem Aquæ adverfum fulgura;* quæ una deberet valere ad *effugandos erraticos Spiritus, omnemque vim Diaboli pellendam, & omnes figuras, ac minas phantafmatis Satanæ exterminandas.* Ubi explicate habes figna, & pacta Magica. Igitur hominis rifus eo valet, ut cachinnos ego tollam.

Sed venio ad alterum extremum. Nam illi, quos nimiæ credulitatis poftulo, moderatione hac non contenti, exproment *reflexum*, ut dicimus, ac fubtile argumentum: mihique ita inftabunt: Si Deus rariffime nunc finit, imo olim ob periculi magnitudinem rarius fivit, effe Magiam; eadem de caufa debes dare, etiam obfeffiones, ceterafque injurias Dæmonis apud nos raro permitti. Quibus fidenter repono: Neque illas infectationes apud omne genus, &

* Ex *Editione* VEZZOSII habetur *Tomo VI. pag.* 211.

conditionem hominum frequentes velim. Eſt item diverſitas inter hæc & illa. Moleſtiæ enim, quas affert ipſe Dæmon, ut omnes perſpiciunt, habent *plerumque* minus diſcriminis: & hominem compellunt potius ad Deum recurrere, quam ſcelus amplecti.

Viden' utrumque genus adverſariorum contentione ſumma id effigere, *Magiam neque nullam, neque frequentem eſſe*; id quod erat tranſigendum.



PARS III.

TRANSACTIONUM DIABOLICARUM.

CONSECTARIA POTESTATIS DIABOLI.

CAPUT I.

CONSECTARIA POTESTATIS SPIRITUUM IN INANIMA.

§. I.

De elementis, & materia reliqua seorsim.

Possunt Spiritus elementa, omnemque materiam non ſolum impellere, agitare; ſed etiam ſubigere, diſſolvere, coagmentare. Hæc enim ſunt de natura virtutis motricis.

Itaque ipſis licet ſerenare aërem, procurare pluvias, grandinem, tonitrua, turbines, procellas, fulmina.

Item inducere frigus, & æſtum.

Quod præter rationem datam etiam patet ex *verſu* 49. *Pſalmi* 77; ubi Pſaltes de grandine, pruina, igne loquens affirmat: *Miſit in eos* (*Deus*) *iram indignationis ſuæ: indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos.* * Sive, ut habet Hebræus, *immiſſionem Angelorum malorum.* Conſtat etiam hodieque a Finniis, & Lapponibus venales navigantibus ventos offerri, velut pilæ incluſos. HENRICUS, Rex Suecorum, eidem ſuperſtitioni addictus, in quam partem vertiſſet pileum, in eam partem movebat ventum. Quod docent ipſi ſcriptores rerum Suecicarum.

* Vide Interpretes in hunc locum.

Scimus quoque, malignos Spiritus continuisse fluida, ne dilabi possent; ut factum est, cum Vestalis sacrilegii postulata, undas cribro hausit.

Sed etiam durissima corpora molliverunt. Sic *Tullio* teste *Libro I. de Divinatione*, ACCIUS NÆVIUS novacula cotem scidit.

Rursum, ut habet AUGUSTINUS *Libro XVIII. de Civitate cap.* 9. possunt efficere inundationes: neque fluviorum duntaxat, sed ipsius Oceani; aquas dividendo, sistendo, attollendo, retrudendo. E contrario possunt prohibere impetum maris, & vim ventorum coërcere, quod fecit sacerrimus Magorum APOLLONIUS TYANÆUS *apud Justinum Quæstione XXIV. ad Orthodoxos*; & EMPEDOCLES *apud Clementem Alexandrinum Libro VI. Stromatum*, compescens aliquem ventum, Agrigentinis oppido infestum, qui incolis morbos, ac præcipue uxoribus sterilitatem afferebat.

Illud non minus mirabile, quod legimus de Magis prohibuisse eos, ne corpora aëri, nebulæ, pluviis exposita madefierent. Ita de statua DIANÆ *Cyndiadis*, & de statua VESTÆ apud Jassæos refert *Polybius Libro XVI. Sectione* 4.

§. II.

De corporibus transmutatis, Difficilior videtur transmutatio unius inanimi in aliud, atque adeo confectio auri. Quamquam de hac arte ne dubito quidem, quod sit Spiritibus tribuenda. Necessario enim fluit ex supra dictis. Sed quoniam sic facile foret Diabolo suos immensum ditare, ac per eos

rerum potiri, prohibetur ſcilicet a provido Conditore; ne mortales potenti illecebra ad interitum trahat: atque latius, quam decet, proferat limites ſuos. Id quod ſordes, & ſumma paupertas Magorum oſtendit. Ipſi faſſi ſunt, ſe diu, multumque lactatos ſpe theſauri cujuſdam; ſed patrem mendacii promiſſis nunquam ſtetiſſe. In Diœceſi Conſtantienſi frequentiſſimæ erant preces a CHRISTOPHORO dictæ: neque raro cum ſacrilegiis jungebantur, quo certius tolli poſſent defoſſæ opes. Neſcio autem, an opera hac auxerint aliquando rem familiarem. Vide CHRISTOPHORUM MATTHÆUM PFAFFIUM **in der Abhandlung vom Christophelgebeth.** *Dominum* DE VAILLEMONT, atque alios complures, qui de *Virgula divinatoria* ſcripſerunt apud JOANNEM ALBERTUM FABRICIUM *Bibliographiæ Antiquariæ Cap. XII.* Titulo *Rhabdomantia.* Rotunde dictum a PAULO GRILLANDO, ſe nunquam vidiſſe aliquem, vel audiſſe ex his dæmonum mancipiis factum ditiorem. *Tractatu de Sortilegiis cap. 3. num. 9.*

§. III.

Poſſunt quilibet ſpiritus, etiam infimi, non ſolum transferre montem, aut aliud corpus cujuſque ponderis, aut molis; ſed etiam integrum planetam, idque incredibili velocitate; nunquam tamen ſine termino, tam propter ſucceſſionem ipſius motus, quam *medii* obicem, ac repugnantiam. Ita multi atque acerrimi ex Criticis, etiam hodiernis, contendunt, Lauretanam ædem, in qua ſit conceptus, altusque Ser- *translatis*,

vator, virtute Angelorum e Galilæa in Picenum fuiſſe tranſvectam. *

§. IV.

penetratis. Etſi ſpiritus poſſunt penetrare quodlibet corpus, nequeunt tamen efficere, ut ab alio corpore id fiat contra naturalem utriuſque extenſionem. Quare inſigniter mentitus eſt SIMON MAGUS, ſi, ut narrat ſpurius CLEMENS, de ſe prædicavit: *Si fugere velim, in me eſt, ut montes perforem, & ſaxa quaſi lutum pertranſeam.* **

Quod autem narrat S. AUGUSTINUS *Hæreſi XXIV.* de PHILUMENE, ſcorto, ac ſaga, conſueſſe eam in vitream ampullam anguſtiſſimi oris immittere grandem panem: eumque extremis digitis illæſum inde levare; ludibrio oculorum, & agilitate circulatoria videtur accidiſſe.

Sed etiam, quod ſagæ dicuntur venditaſſe, per foramina minutiſſima, verbi gratia ſeræ oſtiariæ, ſe tranſiſſe, ſunt meræ præſtigiæ, quibus oculis illuſerunt. Aliter pronuntio, ſi quis ſcire velit, an dæmon poſſit corpus, in ſpeciem humanum, inducere ſenſim per rimulam in clauſum cubiculum. Nam iſtud inter ſubeundum diſſolveret ille, ac denuo compingeret.

Et quid de illis, qui leguntur ex alvo clavos, cultros, ligna, lapides, oſſa, capillos, panniculos egeſſiſſe?

---

* Vide *Novam Formam Theologiæ Biblicæ, his temporibus accommodatæ, Tomo III. Libr. I. Quæſtione I. ſpeciali.*

** *Libro II. Recognitionum fere initio.*

Respondeo. Puras putas ludificationes memorasti; cum Dæmon hoc omne negotium celerrima, neque visa immissione, & emissione perfecerit. Fors etiam egesta corpora non fuerunt ex illa materia, quam præferebant. Certe qui scribunt de Maleficis, dudum notarunt, eorum habitum suspicionibus locum dare. Certe GRILLANDUS, supra laudatus, affirmat, experimentis propriis, quæ per se ipse instituisset, se exploratum habere, quod seposita brevi diffluxerint.

Quamquam nec illud omitti debet, spiritum malignum ea forte in pulverem contrita immisisse, ac intus rursum compegisse. Vide WIERUM *de Præstigiis Libro IV. cap.* 2. *&* 9. HOFMANNUM *de Diaboli potentia in corpora* §§. 24. & 25.

§. V.

De assumptis corporibus.

Spiritus virtute naturali possunt assumere quæcunque corpora, & in iis apparere; aut etiam sine corporibus quascunque per visum species offerre. Quod est certum ex ipsis sacris Literis.

Corpora vero sic assumpta illis minime uniuntur; imo sæpe phantastica solum, ac imaginaria dici debent. Quando autem sunt vera, habentque germanam suam speciem, organa tamen eorum neque sunt *informata*, neque motum quemdam *vitalem* habent; quantumvis non solum appareant solida, verum etiam, haud secus ac cetera teneri possint, manibusque tractari. Exemplum præbet Angelus fœderis cum JACOBO luctatus.

An vero & anima hominis, quæ non refertur ad aliud quam proprium corpus, ut primum ab isto separatur, possit corpus assumere, huc minime pertinet, & solet a Psychologis examinari.

Quid vero de actionibus spirituum in tali corpore? Colligitur ex ante dictis, eas fictitias tantum, & neque quod *substantiam*, neque quod *modum* spectat, *vitales* esse. *Videbar*, dixit RAPHAEL ad TOBIAM seniorem, *videbar quidem vobiscum manducare, & bibere; sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. Tobiæ cap.* 12. *versu* 19.

§. VI.

De replicatis corporibus.

Negari debet spiritibus facultas corpus idem replicandi. Istuc enim nec a scientia, nec vi motrice pendet; superatque vires totius conditæ naturæ.

Si ORIGENEM mihi quis objicit, qui ipse *Libro VI. contra Celsum non longe ab initio* refert, PYTHAGORAM duobus locis simul visum; nihil evincit præterquam ludibria oculorum. PYTHAGORAS enim, cum esset revera in uno loco, in altero apparuit tantum: vel certe translatione celerrima ex uno in alium, non probe subducto tempore putatus est simul utrobique fuisse.

Eodem recidit, quod refert AUGUSTINUS NIPHUS, vir sua ætate valde eruditus, quemdam Magum spatio horæ dimidiæ coram duobus judicibus in oppidis remotissimis comparuisse.

Hæc de poteſtate ſpirituum in corpora *inanima*; nunc ad *viventia*, ubi haud paulo fuſior, ac operoſior eſt quæſtio futura.

Caput II.

CONSECTARIA POTESTATIS SPIRITUUM IN VIVENTIA.

§. I.

De Nutritione, & Accretione.

Spiritus poſſunt applicitis idoneis cauſis materiam ſic diſponere, ut nutritio, & accretio celerius etiam, meliuſque fiat, quam exigat, feratque curſus naturæ ordinarius. Nam probe ſciunt, quod pabulum, vel alimentum ſit cuilibet aptiſſimum: ſciunt, vis ipſa nutriens in quo maxime conſiſtat: ſciunt impedimenta, quæ amoveri, ſciunt præſidia, quæ afferri debent; ut tam plantæ, quam bruta, & homines firmentur, fiantque ſolito vegetiores.

Eadem de cauſa tam nutritionem, quam accretionem modis variis impedire poſſunt; atque in his artibus conſiſtit pars magna maleficiorum, tam apud homines, quam pecora.

§. II.

De ſomno.

Spiritus poſſunt efficere ſomnum, etiam longiſſimum, ſubvehendo vapores, ac humores, quibus diu vinciatur *primum ſenſorium*, quod vocant. Nam & gliribus, aliiſque animalibus, præſertim volucribus, ſic tota dormitur hyems. Abrahamus Bzovius in *Continua-*

tione Annalium Ecclesiasticorum ad annum 1376. *num.* 23. de quodam Germano refert, eum integro septennio sopore mersum citra ullam prodigii suspicionem jacuisse. Nescio autem, an & BZOVIUS hæc scripserit citra ullam, non mendacii, verum anilis credulitatis suspicionem. Nempe Baronianæ purpuræ panniculos interdum suos operose assuit; ut haud injuria illi objecit illustris scriptor JOANNES GEORGIUS HERWART AB HOHENBURG, *Bavariæ Cancellarius, in Apologia Ludovici IV. adversus Abrahamum Bzovium.*

De vigiliis. Sed etiam e contrario possunt spiritus efficere longissimas vigilias; solvendo identidem ac dissipando vapores eos, qui meatus sensorios obstruere, fessosque artus sopore solent irrigare. Sic JOANNES FRANCISCUS FERNELIUS, unus ex præcipuis Galliæ Medicis, testatur, quemdam amentem vi sola morbi menses quatuordecim duxisse insomnes. *Pathologiæ Libro V. cap.* 2.

§. III.

De inedia. Pariter possunt ita inhibere vim caloris naturalis, ut aliquod vivens sine ullo sumpto cibo toleret vitam ad longius tempus; adhibendo videlicet temperantia quædam: vel curando, ut spiritus concoctioni servientes identidem diffluant Idipsum præstare possunt applicando frigida, vel *viscidos* humores objiciendo, qui calori naturali in pabulum paulatim cedant. Nam hoc modo multa animalia per hyemem tam in cavernis, quam arborum foraminibus absque ullo alio alimento tolerant vitam. Denique cur non

Angelus, vel Dæmon, quin id homines advertant, poſſit continenter in ſtomachum immittere quid tenuis quidem, verum maxime efficacis alimenti? Certe CLEOMBROTUS apud *Plutarchum** narrat, ad oram maris rubri a ſe Magum eſſe viſum, qui ſumpto in ſingulos menſes amaro fructu ignotæ herbulæ victitarit. JOVIANUS PONTANUS *Libro II. de Sermone cap.* 16: & PETRUS GREGORIUS *Libro XXXV. Syntagmatis Juris Univerſi cap.* 10. afferunt exempla ſane mira de hypocriſi quorumdam, qui iſta ratione jejunandi popularem auram, rumoremque ſanctitatis aucupati eſſent. Idipſum & poſtea accidit ſæpius; etiam noſtra ætate, ac primum ante ſex annos in vicinia hac noſtra prope Rottwilam, oppidum Sueviæ, quamdam fœminam, ante magni habitam, nota infamiæ aſperſit.

Quod de inedia hic eſt dictum, nullo negotio ad ſitim quoque extenditur. Par enim utriuſque eſt ratio; imo hoc videtur labore multo minori ſpiritibus conſtare. **

§. IV.

De Phantaſia.

Pro poteſtate, quam habent ſpiritus in *impulſionem* extrinſecus allatam, quam Phyſici *Phantaſiam* ſolent appellare, poſ-

---

* *Libro de ceſſatione Oraculorum num.* 16.

** Notanda *Hiſtoria Superſtitionum* PETRI BRUNII *Tomo IV. Supplement. Doctrina* PROSPERI LAMBERTINI *de Beatificat. & Canonizat. Sanctor. Libro IV. cap.* 27: præcipue vero *Diſſertatio de longis Jejuniis*, ejuſdem voluntate ab *Academicis Bononienſis Inſtituti* conſcripta. Habetur inter appendices dicti operis ad *Librum IV.*

ſunt varia immittere ſomnia. Et hoc olim perpetuum fuit negotium Orientales populos, atra bile laborantes, decipiendi, falſos Prophetas excitandi &c. Id enim narrat Scriptura non uno loco. Ita *Deuteronomii caput* 13. *verſu* 15. vetat adire interpretes ſomniorum: additque, loco horum eſſe Prophetam conſulendum. Multa etiam de Somniis, quæ a Deo, & Angelis immittuntur, in *Libro Geneſis* habemus.

Vide PHILONEM *Judæum de Somniis:* atque aliud ejus opuſculum, *quod a Deo immittantur Somnia.* Eodem facit MACROBIUS *in Somnium Scipionis*, & SYNESIUS in *Libro de Inſomniis.* Antiqui ac recentiores, qui de Somniis, & divinatione ex his egerunt, poſſunt legi in *Bibliographia antiquaria* JOANNIS ALBERTI FABRICII *cap.* 12. Optima haud dubie eſt *Diſſertatio Gallica* MOSIS AMYRALDI *de Somniis divinitus immiſſis.*

§. V.

Pariter ex poteſtate, qua afficiunt organa, poſſunt ſpiritus movere riſum, vel lacrimas præter omnem hominis voluntatem; ita quidem, ut ſumma in triſtitia ſonoros in cachinnos, & contra in ſummo gaudio in uberes lacrimas ſolvantur.

Argumentum hoc egregie illuſtrat *Diſſertatio* ANONYMI *de riſu, & ridiculo*, paucis abhinc annis germanice ſcripta.

§. VI.

De voce. Neque illud taceri debet, ſpiritus unius vocem per organa alterius, aut certe per varium

varium allisum corporum quorumcunque formare posse. Constat id ex asina BALAAMI, & serpente, ubi EVAM ad peccatum pellexit. Sic statuæ & idola quædam oracula fuderunt: sic CAUSUS amnis teste S. CYRILLO ALEXANDRINO *Libro III. adversus Julianum ad textum* 2. salutavit PYTHAGORAM.

§. VII.

De generatione.

Possunt spiritus generationem ipsam tam in hominibus quam in plantis, ac brutis vel promovere majorem in modum vel impedire. Quod patet ex superioribus fere singulis; præsertim illis, quæ de *nutritione*, & *accretione* sunt dicta.

Et quidem de artibus diabolicis sæpissime novi conjuges queruntur. Sicut autem quam maxime sunt detestandi, qui philtris, ac poculis, arte magica paratis, pudicos animos libidine accendunt *, ita reipublicæ damnum ingens infertur a malitia quorumdam, qui sive rivalitatis, sive invidiæ causa vastant toros conjugales, ac maritum præcipue ad negotia nuptiarum impotentem reddunt. Istud, quando naturalibus medicamentis fit, *Veneficium*, quando opera diabolica, *Maleficium* appellatur. De hoc præclare CAROLUS FEVRET *de l'Abus. Libro V. cap.* 4.

* Vide S. HIERONYMUM in *Vita S. Hilarionis Abbatis.* Item Jus Canonicum *L. eorum* 4. *C. de Maleficis.* Denique complures, ne dicam universos, qui melius de Maleficis scripserunt. Non est nostrum in re lubrica, ubi usus non postulat, hærere. Magistratuum sunt hæ partes; quibus magna voluntate a nobis relinquuntur.

num. 5. *& seqq.* PAULUS ZACCHIAS *Quæstionum Medico-Legalium Libro III. t.* 1. *q.* 5. & præstantiores nonnulli, qui commentantur in Jus Canonicum ad *Titulum de Frigidis*, *& Maleficiatis.* Inde habetur, quod homines orco devoti ejusmodi genus nocendi & tentent, & perficiant haud infrequenter; digni profecto quos ob sceleris magnitudinem non solum ultore gladio, verum etiam feralibus flammis deleant supremi magistratus.

§. VIII.

De sexu. Magis mirum est, verum tamen, quod spiritus in prima formatione fœtus illi sexum adeo, quem voluerint, inducere possint; modo Deus tam arcanis artibus non intercedat. Nempe illis notissimæ sunt omnes causæ, quibus ista diversitas effici solet. Itaque nil aliud requiritur, quam ut applicent illas in loco.

Discrimen inter masculum & fœmellam non nisi *accidentale* est, ex structura videlicet membrorum, ac temperie humorum quorumdam. Utramque nullo negotio efficiunt spiritus, præsertim in materia tam flexili, quæ est in fœtibus.

Postquam autem inductus est sexus, mutari jam minime potest: nullisque artibus sive fœmina in marem, sive mas in fœminam aliquando abiit; etsi sciamus, id tentatum a quibusdam, ut naturam eorum inverterent, quibuscum impudice versabantur. Legimus id, & execramur apud eos, qui de monstro humani generis NERONE commemorant. Nam maximo opere de-

dit operam, ut exoletum, quem deperibat miſerrime, mulierem efficeret. Verum fruſtra in eo conſumpſit deteſtabilem induſtriam; licet Medicis non contentus, etiam Magos in ſubſidium vocaſſet. Hi enim, ut DIO CHRYSOSTOMUS *Oratione* 21. refert, mentiti ſunt omnes: neque, quod largius polliciti fuerant, præſtare ullo modo potuerunt.

Scio quoſdam naturalium rerum ſcriptores, qui pronuntient affirmato, ipſammet naturam tam in brutis, quam hominibus provectis eam converſionem tranſegiſſe. Quibus fidem nos minime adhibemus. Nempe, ut firmiter mihi perſuadeo, & Medici præſtantes admonuerunt, non tam mutatio, quam evolutio, ac perfectio contigit organorum, jam antea cœptorum.

§. IX.

Dandum quoque ſpiritibus, quod poſſint univerſe ſenſus omnes, ac maxime oculos decipere. Ac recte animadverſum a TERTULLIANO *: *Nec magnum illi* (videlicet dæmoni) *exteriores oculos circumſcribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile eſt.* *De ſenſibus.*

Quare facit, ut homo ſe arbitretur percipere, quæ minime percipit, etiam integris atque ſolutis ſenſibus. Nempe vel in re objecta quid mutat celerrima agitatione, verſione, occultatione, in modum circulatorum: vel in medio inter

* *Libro de Anima cap.* 57.

oculum, & rem objectam jacente id præſtat haud paulo dexterius, quam artis opticæ magiſtri. Beatus ALBERTUS GROSS, quem exteri *magnum* interpretati ſunt, non utique literarum, verum cognominis cauſa, a parente tracti *, cum Coloniæ GUILIELMUM *Imperatorem* convivio exciperet, multa illi mira hujus generis exhibuit; ut legere eſt apud BZOVIUM, ſupra memoratum *ad annum Chriſti* 1248. *num.* 2.

Denique ſpiritus poſſunt ſenſus etiam iſta ratione deludere, ſi quando in ipſis organis quid immutent ſive affundendo humorem quemdam, ſive meatus animalium ſpirituum obſtruendo.

§. X.

Norunt ſpiritus quodcunque corpus, licet vivens, ſubducere aſpectui præſentium; ſive id faciant ſubitanea translatione ipſius corporis, ſive ſpecierum inde in oculos incurrentium. Ita LACTANTIO teſte ** APOLLONIUS TYANÆUS, cum præter voluntatem a *Cæſare* DOMITIANO detineretur, videri deſiit: atque Puteolis, ubi ſocii eum exſpectabant, apparuit improviſus.

---

* Inſenſior ALBERTO *Claudius Fleuryus in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica* neſcire ſe dicit, cur tulerit cognomen *magni*; niſi forte ob magnitudinem librorum quos ſcripſiſſet: aut quia, qui tum vixerint, homines admodum parvuli eſſent dicendi. Quidquid id ſit, ſi magnus non erat ALBERTUS, certe nec Magus fuit, ut quidam alii ob artes arcanas eum vocarunt.

** *Libro V. divinarum Inſtitutionum cap.* 3. *ex Philoſtrato.*

Pervulgatus eſt apud veteres GYGIS annulus, cujus ea fuit virtus, ut præſens GYGES videri non poſſet, niſi volens, ut eſt apud PLATONEM *Libro II. de Republica fere initio.* Sed annulus hic pro nobis parum facit. Spectat ad mulieres ſenio confectas; præſertim cum retro fornacem hybernant, frigusque pellentes fallunt tempus, quo illætabilis December & Januarius vel maxime invitos nos domi continet.

§. XI.

Sed etiam *impenetrabiles* telis, glandibus, gladiis efficere poſſunt non una ratione. Scilicet vel ictum avertendo, vel interponendo quid ſolidum, vel vim ipſam celeritatis remorando.

Hanc in rem multa narrantur de militibus, & venatoribus; vel ideo non credenda, quia, ſi ſæpius a Deo gubernatore permitterentur, denique tollerent bella, ac ordinem naturæ univerſum turbarent.

Vide eos, qui de Amuletis, & Teleſmatis ſcripſerunt, & ſunt quamplurimi; certe ſolus JOANNES ALBERTUS FABRICIUS eorum ingentem numerum exhibet *Bibliographiæ Antiquariæ Cap. XII. num.* 5.

§. XII.

Neque negandum eſt ſpiritibus, quod poſſint illæſos ab ignibus præſtare; ita quidem, ut ferrum candens tractent, ambulent per prunas, mediaſque flammas tranſeant impune. Naturalis

Historiæ auctores de Salamandra affirmant, quod aliquantum temporis non solum sine fraude, verum etiam sine incommodo inter ignes versetur: & quotidie videmus, quomodo cicadæ ingenti appetentia fomitem incendiarium invadant, ac devorent: Quare nil novum, nil præter naturam spiritibus hic tribuitur.

Verum ex eo, quod sequitur, multo magis patebit, esse artes omnia corpora ab incendio immunia præstandi. BUSBEQUIUS in *Epistolis suis de Legatione Turcica*, a se visum narrat, qui ferrum candens per palatum, ante inunctum, duxisset. Itaque spiritus, qui probe sciunt eam vim inhibendi calorem, & quid organa obstupefacere possit, naturalia remedia applicant: ac horum ope ignibus adimunt virtutem suam.

§. XIII.

De morbis. Quæritur jam, an etiam morbos tollere Intelligentiæ possint? Respondeo tollere, & inducere. Si enim homines hanc artem tenent: si venena, & medicamenta non adhibent in cassum, cur sit istis negandum? Neque solum dico de genere morborum, qui facilius ceteris sive tolluntur, sive inducuntur; sed etiam de illis, qui solent *lethiferi*, & *incurabiles* vocari. Ut enim recte explicat EUSEBIUS CÆSARIENSIS *Libro IV. Præparationis Evangelicæ*, sunt multa, variaque, quæ sua natura jam pellunt valetudines, jam accersunt. Alia enim vehementer adstringunt, alia solvunt: alia refrigerant, alia accendunt &c. Sed etiam mutationes Lunæ, in tam multa influentis: situsque locorum, &

conditio aëris id ipsum præstant. Quæ cum sint singula spiritibus magis perspecta, quam Medicis, applicare ea, vel demere ubilibet possunt permissu Dei. Accedit & ipsa agitatio mixtioque humorum; quam si subito aggrediantur: si subito ab ea cessent, magnum præsidium valetudini vel afferre possunt, vel auferre. Legimus apud varios Auctores, quod ipsam pestilentiam depulerint, & epilepticos quoque sanarint. Et quidem de pestilentia volente Deo a Dæmone immissa multa reperies apud ATHANASIUM KIRCHERUM in præstanti opere, quod de malo hoc gravissimo latine conscripsit. De eadem ab Angelo bono immissa docet *Caput XXIV. Libri II. Regum*, & Interpretes, in illud uberius commentati. De morbis Diaboli opera facillime inducendis GUILIELMUS ESTIUS *Libro II. Distinct.* 7. 17: DANIEL SENNERTUS *Libro VI. Part.* 9. *c.* 5: JACOBUS BENIGNUS BOSSUET *Elévat. sur les Mystèr. Elévat.* 5.

De morbo Jobi singulatim.

Quam gravem, quam fœdum morbum JOBO induxerit sine horrore nemo audivit. Eruditissimus virorum, AUGUSTINUS CALMET *Dissertatione in morbum Jobi* non alium hunc fuisse dicit quam *morbum Gallicum*, sive luem veneream, quæ sit ipsissima elephantiasis; quippe iisdem symptomatibus obnoxia, indiciis iisdem se prodens, medicaminibus iisdem pellenda. Quam in rem non solum ingenti apparatu auctoritatum, & eruditionis depugnat, verum etiam momentis gravibus rationum. Dæmon autem præ aliis hunc morbum delegit, quod indolem ejus sævissimam, maximeque probrosam nosset. Et recte ERASMUS ROTE-

RODAMUS *Epiſtola* 62. *ad regni Poloniæ Cancellarium* ſcribit: *Hæc lues quidquid in aliis eſt horrendum, una ſecum trahit.*

Sed lege ipſummet CALMETUM, qui hac in parte non ſolum JOBI præcipuum Interpretem, JOANNEM DE PINEDA, verum etiam FRANCISCUM VATABLUM, ipſoſque Medicos haud ignobiles eſt ſecutus. *

§. XIV.

Porro quod ſpectat Diaboli curationes, nunquam his habendam fidem clariſſimi jam, & antiquiſſimi ſcriptores verbis gravibus admonuerunt. Unde ſanctus LEO *magnus Sermone* 19. *de Paſſione Domini* ait: *Beneficia dæmonis omnibus ſunt nocentiora vulneribus.* Nam, ut abſit inconſtantia impetratæ ſanitatis, damnum animæ incurritur, & conſcientia Magiæ, quæ eſt longe atrocior criminibus ceteris, multoque acrius cruciat mentem, quam ante vis morbi corpus vexavit. *Quin ego*, addit CHRYSOSTOMUS *Homilia* 39. quæ *quarta Oratio adverſum Judæos* vocatur, *quin ego illud quidem longe mirabilius dicam, etiamſi vere ſanarent, ſatius tamen eſſe emori, quam ad Chriſti hoſtes accurrere, & hoc modo ſanari. Quid enim prodeſt curare corpus anima pereunte?*

* JOANNES REISKIUS, GEORGIUS WEDELIUS, & JOANNES SCHEUCHZERUS peculiarem de morbo iſto Diſſertationem dederunt. JOANNES DAVID MICHAELIS in *Jobo Ægyptio*, ex quo aliqua delibat in *Epimetro ad Prælectionem XXXII. Roberti Lowth de Poëſi ſacra Hebræorum*, fere idem cum CALMETO ſentire videtur.

§. XV.

Quid de sanationibus Gentilium quorumdam, quæ solent jactari.

Quid vero de illis sanationibus, quæ apud TACITUM, ac SUETONIUM leguntur? VESPASIANUS nempe *Imperator* cuidam, tabe oculorum laboranti, saliva oris sui reddidisse lumen dicitur: & alterius manum, affectam gravissime, ut primum contigerat pede suo, curavisse. Pariter *Imperatorem* HADRIANUM memorant duobus cæcis abstersisse tenebras, diemque clarissimam repræsentasse. Quæ ni falso narrantur (neque enim sunt dogmata Fidei nostræ) fateamur oportet, quod Dæmon per ipsos Cæsares, quo fama manaret longius, fidem miraculorum Christi, quæ tum vires sumpsit, imminuere volens, hos homines maleficio læserit, ad contactum autem Augustorum cessaverit a maleficio. Certe quæ fecit VESPASIANUS, præsente APOLLONIO TYANÆO contigisse BARONIUS *in Annalibus ad Annum* 71. notavit. De HADRIANO quoque possent quædam singularia addi, si tempus ferret. Eleganter, & acute, ut solet, TERTULLIANUS in *Apologetico adversus Gentes cap.* 22: *Venefici plane & circa curas valetudinum* (*dæmones sunt.*) *Lædunt enim primo, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria: post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur.* Et LACTANTIUS *Libro II. divinarum Institutionum cap.* 16. *Prodesse putant eos* (dæmones) *cum nocere desinunt, qui nihil aliud possunt quam nocere.* Quamquam non est opus ad Magiam recurrere, cum innuat ipse TACITUS, hos morbos humana arte sanabiles fuisse.

Et quidem de Hadriano narrat SPARTIANUS, cæcitatem illam simulatione confictam, & rumusculis in vulgus esse elatam.

Verum de prodigiis fuit alibi præceptum. Ostendimus enim ad *Librum Exodi* (cum de Magis Ægypti) a nullo spiritu condito quid effici posse quod superet vires totius naturæ. Idipsum habes Parte I. hujus Libri Transactione V.

§. XVI.

De Senio, ipsaque vita.

Eodem recidit, quod spiritus vitam hominum contrahere possint; sed etiam producere, ac senii effectus, puta canitiem, tarditatem &c. penitus avertere. Non enim alio est opus, quam ut humorum temperamentum reponant in statum priorem. Pueris, quibus emarcuit corpus totum, ars medica ad optimam temperiem id reducit; utique non alia ratione, quam purgando sanguinem, & reparando affectas partes. Quid ni spiritus idipsum possint in adulto, & sene?

Equidem Dæmon non amat vitam hominum longiorem; habet tamen suos, quorum carissima sibi valetudo est: quos defendit omnibus modis ac servat; ut in summa senectute, exactisque jam annis haud secus ac olim florenti ætate militare illi etiamnum possint. Exempla non procul habemus.

§. XVII.

De nece, & mortibus hominum nihil dico. Satis id patet ex superioribus, si revoces in memoriam, quæ monui de ASMODÆO, & SARÆ maritis, inter opera nuptiarum elisis: de Angelis item vastatoribus, quorum unus Ægyptiorum primogenitos jugulavit, alter una nocte exercitum SENNACHERIBI universum delevit.

§. XVIII.

Huc maxime obsessio spectat, de qua, cum sit supra actum, duobus verbis nunc ostendo, quid juris, & quid virium per eam acquirat malignus Spiritus. Nempe

Quamprimum a Deo venia est facta, occupat hominis corpus, veluti sedem, aut officinam suam, habetque plenissimam potestatem

1. in potentiam *organicam rememorativam.*

2. in potentiam *organicam imaginativam.*

3. in appetitum *internum sensitivum.*

4. in appetitum materialem, tam *irascibilem*, quam *concupiscibilem.*

Quæ omnia præclare explicat PETRUS THYRÆUS *de Dæmoniacis*, & AUGUSTINUS CALMET *de Apparitionibus Spirituum*, & *Dissertatione de Dæmonibus corpora obsidentibus*, & *possidentibus*, præmissa *Commentario in Evangelium S. Lucæ.*

§. XIX.

Inquiri & in illud poteſt, an ſpiritus, ſi tantum in viventes poſſunt, etiam producere quid, & gignere poſſint? Vulgo enim multa feruntur de repentibus, avibus: ac muribus maxime, quas momento ſoleant malefici repræſentare. *

Qua ſenſu ſpiritus quid poſſint gignere?

Reſpondeo. Si generatio accipitur ſenſu obvio, & Philoſophis uſitato, quod ſit *productio viventis a principio vivente ejuſdem naturæ*, ſpiritus in nullo aſſumpto corpore poteſt generare. Nam corpus ejus non eſt vivum, vel conjunctum, vel ejuſdem naturæ. Si ergo quis ſpiritus *activum paſſivo applicans* excipiat ſemen maſculinum, & illud conſervatum probe, fotumque fundat in matricem, ne ſic quidem generare dicendus foret. *

Verum res iſta majoris eſt indaginis: ac digna prorſus, ut curate admodum, ac ſingulatim enodetur.

§. XX.

Ut autem ordine procedam, prænotare quædam hic oportet. Et *primo* quidem ſpiritus conditi ex ſe, velut cauſa propria, producere nihil poſſunt; quia regimen univerſi hujus quam maxime exigit, ut res finitæ, *etſi ordinis ſuperioris*, non immiſceant ſe actibus propriis inferio-

* Repete hic, quæ dixi in *Nova Forma Theologiæ Biblicæ, his temporibus accommodatæ*, cum expenderem ad *Librum Exodi* producta imperio Magorum animalcula.

rum; verum agere hæc ſinant ſecundum naturam ſuam. Haud ſecus ſcilicet, ac videmus in homine; qui licet ſit multo perfectior compoſitis aliis materialibus, tamen nec vermiculum poteſt vi ſua progignere.

Secundo alia animalia *perfecta* ſunt, alia *imperfecta.* Perfecta, quæ etiam *vivipara* vocamus, naſcuntur ex ovulis intra ipſam matricem contentis. Imperfecta, ſeu *ovipara* ex ovulis, extra matricem ſitis, evolvuntur.

Tertio de animalibus imperfectis non eſt dubio locus, quod poſſint a quovis ſpiritu produci. Scimus enim plura volatilia excludere ova aliena, quæ ipſis ſupponuntur: & in furnis Ægyptiacis in iſtum diem ſolo calore pullos innumeros ex ovis in hanc lucem emitti.

Quarto in hunc modum poterant Magi Ægyptiorum nullo negotio exhibere agmina integra ranarum; quia ſpermata & ovula iſtarum in regione paluſtri, ut eſt pars Ægypti, habebant ubique ad manum.

Quinto hæc autem ratio producendi nonniſi *impropria* debet dici. Non enim ſic aliquid procreatur, vel gignitur, ſed tantum maturatur, ac excluditur.

Sexto animalia perfecta non videntur a ſpiritibus produci poſſe. Hoc enim a continua actione animæ maternæ in fœtum, non vero ab aliqua exteriori, eaque tranſeunti virtute dependet. Quia tamen multi nunc docent, quod

dispositiones ad formam non paulatim a virtute generandi, animalibus solis concessa, imprimantur, verum insint in ipso semine: adeoque anima jam inducatur per ipsam seminis conceptionem, nihil hic licet pro certo venditare.

§. XXI.

Sed quid illis faciam, qui dicunt, spiritus malos non tantum animalcula, verum & homines sensu proprio generasse? Et hi quidem Patres pro se habent, quorum multi fuerunt sententiæ ejus, ex concubitu Angelorum cum hominum filiabus Gigantes, Faunos, Dæmones prodivisse. Sed etiam ex Historicis quidam pro explorato habent, quod mali spiritus non tantum mulieres compresserint, verum liberos quoque ex iis sustulerint. Tradunt enim Hunnorum totam gentem originem trahere a fœminis Gothicis, quas Fauni, Satyrique in Asiæ solitudine illato stupro gravidassent. Idem de MERLINO, Britanno vate, narrant; filium dicentes dæmonis e virgine stuprata. Alii PLATONEM ipsum scribunt a phantasmate hujus generis progenitum esse. Denique sat recepta apud multos sententia est, ANTICHRISTUM non alios habiturum natales, quam dæmonis consortium cum fœmina malefica. De quo videndus THOMAS MALVENDA *Libro II. de Antichristo cap.* 8. aliique; præsertim Interpretes. Ad singula respondeo.

De hominibus generatis.

Et quidem ad sententiam Patrum facillima responsio est. Nam illi velut compertum assumpserunt, Angelos habere corpora quædam, etsi

noſtris longe ſubtiliora. Quare nihil mirum, quod corporeis ſubſtantiis tribuerint vim gignendi. Quamquam & iſti, qui Angelos corporeos faciunt, fateri coguntur, non eſſe eorum corpora apta ad generandum. Servator nempe apud *Matthæum cap.* 22. *verſu* 30. de beatis pronuntiat: *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.*

Mira de Succubis, & Incubis.

Major eſt difficultas a dæmonibus *Incubis* & *Succubis*, qui corpore aſſumpto ſive viris ſive fœminis abuti feruntur. Quam in rem multa videre eſt apud CONSTANTINUM PARENTINUM, *ex ordine Servorum Mariæ, de Incubis, & Succubis:* apud PETRUM THYRÆUM *Libro I. de Apparitionibus Spirituum:* MARTINUM DELRIO in *Diſquiſitionibus Magicis Libro II:* NICOLAUM SERARIUM *Commentario in Caput 6. Tobiæ:* THEOPHILUM RAYNAUDUM in *Theologia Naturali Diſtinctione I. Quæſtione* 4. *Articulo* 3: AUGUSTINUM CALMET in opere de *Apparitionibus* &c. Præcipue vero pro hac ſententia ſtant, quotquot nocturnis Sagarum conventibus favent. Ipſe *Dominus* DE VOLTAIRE, qui ſe præter Deum nil credere profitetur, in *Tractatu de Tolerantia* affirmat, Judæos jam Moſis ætate adoraſſe Faunos, hircoſque, & cum iis fœdiſſima dictu perpetraſſe. Tribuit id inopiæ fœminarum, qua laboraſſent in locis incultis: & cujus cauſa vel brutis jungi minime dubitaſſent. Denique concludit: *Tupereſſet reſcire, an hoc ex conſortio monſtra prodierint: & an veteres fabulæ de Satyris, Faunis, Centauris, & Minotauris ratione aliqua nitantur? Hiſtoria id affirmat;*

at Physica nil dum paradoxæ rei lucis affudit. Ubi nescis an bestias, an dæmones in assumptis harum corporibus obtrudat. Nam ubique imminens Religioni temerandæ, omnia confundit, quo lectoribus illudat.

Quædam pro hoc commercio apud Patres, & scriptores Ecclesiæ ipsos reperias; videlicet apud S. THOMAM *Libro II. Sententiarum Distinctione* 8. *Quæstione* 1. *Articulo* 4: *Scriptorem Vitæ* S. BERNARDI *Libro II. cap.* 6: Ipse AUGUSTINUS *Libro XV. de Civitate Dei cap.* 23. non dubitat scribere: *Celeberrima fama est, multique se expertos, vel ab iis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audiisse affirmant, Sylvanos, & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos extitisse mulieribus: & earum appetisse, & peregisse concubitum: & quosdam dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assidue immunditiam & tentare, & efficere: talesque asseverant, ut hoc negare impudentiæ esse videatur.*

Ut fatear ingenue, hæc omnia mihi commentitia videntur: & valde vereor, ut etiam in hunc diem habeat locum consilium Dæmonis, quod olim BASILIUS SELEUCIENSIS *Oratione* 6. subodoratus est. Cum enim ex amentia dixisset id proferri, & pugnare cum ipsa natura Angelorum, ita subdit: *Naturæ carne destitutæ nihil est cum corporibus consortii, etsi Græci dæmonum nuptias fabulentur & amores. Quod profecto dæmonum artificium est. Eam dæmones ægritudinem sermonibus extollentes, ejus quoque effectus in se vim producunt; ut incontinentiæ*

flammam

flammam hominibus succendant: & contra naturam suam suffragium ferunt, ut miseros mortales amoris perturbatione debacchari faciant.

Non autem nego Dæmonem posse corpus hominis assumere; nominatim recentius cadaver. Quin illud dabo, si contendas magnopere, ab eo subin ad hos congressus semen verum afferri, præsertim si prius *Succubum* ut volunt, mox *Incubum* agat. Nihilominus negotium hoc ex parte Dæmonis sive virum agat, sive mulierem, plerumque nil aliud, quam illusio phantasiæ est.

§. XXII.

Urgent vero, & dicunt: nil prohibet assumpto animalis semine, eoque in debitum locum transfuso existere verum animal. Sic enim causæ eædem adsunt, quæ faciunt ordinariam generationem: solumque intervenit *alia causa applicans*. Cur igitur non idem effectus consequatur?

Quibus ex mente Medicorum respondent, tam tenues, tam subtiles esse spiritus, qui serviunt generationi, ut evaporent continuo, atque difflentur. Quid autem conficiunt? Parum profecto. De integro enim instabunt, industria Dæmonis impediri hoc posse; fovendo scilicet, continendo, motumque localem inhibendo, dum liceat prorsus intactos in uterum transmittere. Ergo aliter solvenda difficultas.

Et mea quidem sententia multum sibi sumit, qui parat ostendere, id *Nostra de his sententia.*

viribus mali genii ſuperius eſſe; præſertim cum graves, doctique viri exiſtiment, a Dæmone prolem ſeri etiam tunc poſſe, cum ſpiritus illos non recta tranſmittit in matricem, verum aliis viis in corpus animalis perducit.

Itaque dicendum, hanc omnem quæſtionem tam inutilem eſſe, quam implexam; *primo* quia vel illa ratione Diabolus nunquam generaret; verum haud ſecus ſe haberet, ac agricola, qui ſpicæ ſemen in terram immittit; nec procreat tamen: neque pars eſt ipſius. *Secundo* quia Deus non patietur, ut, ſi pollet hac poteſtate, illam exerat aliquando; ſed in ejus uſu, præſertim apud homines, ſpiritum Incubum conſtanter impediet. Quod mihi ex eo capite videtur manifeſtum, quod tali interventu in re omnium graviſſima turbaretur naturæ ordo: fieretque incertum, num homo, ſic ſatus, *Adamicus*, ac peccato originis obnoxius eſſet: proinde *Providentiæ peculiarem quamdam Oeconomiam* ipſe ſolus exigeret.

Quare malim cum SERARIO, & DELRIONE, cum idoneis teſtibus, vel matris confeſſione habetur, aliquam prolem ab hoc commercio venire, eam furto ablatam, ac ſuppoſitam fuiſſe: ipſumve Diabolum ſe infantem ſimulaſſe. Sic manet Hiſtoriæ fides: neque datur, Spiritus cum homine ſenſu vero ſcortari.

Curioſi harum rerum præter allegatos habent FRANCISCUM ALPHONSUM DE CASTRO *Libro I. de juſta Hæreticorum punitione:* ALPHONSUM CARRANZAM *Libro V. de Partu naturali cap.* 20.

q. 10. *num.* 68: BENEDICTUM PERERIUM, ceterosque Interpretes, cum commentantur ad *versum* 2. *capitis* 6. *Geneseos: Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores, ex omnibus quas elegerant:* LUDOVICUM MOLINAM *Parte prima, Quæstione L. Artic.* 1: FRANCISCUM VALESIUM *Libro de sacra Philosophia, sive de iis quæ scripta sunt Physice in Libris sacris cap.* 8: JOANNEM BODINUM (caute legendum, nec bonæ fidei) *Libro II. Dæmonologiæ* suæ. ULRICUM MOLITOREM *Libro de Pythonicis mulieribus cap.* 6. *&* 10: JACOBUM RUFFIUM *Libro V. de Mulieribus cap.* 6. PETRUM BINSFELDIUM (& ipsum nimis credulum) *de Confessionibus Maleficarum Parte prima Quæstionis, Conclusione quinta:* JUSTUM LIPSIUM in PHYSIOLOGIA STOICA *Libro I. Dissertatione* 10: FRANCISCUM SUAREZ *Libro de Superstitione cap.* 16: Recentiores, qui scribenti non erant ad manus, dabit *Bibliotheca Magica* EBERHARDI DAVIDIS HAUBERI.

§. XXIII.

Spiritus non possunt naturas mutare.

Sed neque Spiritus animalium naturas mutare possunt: vel hominem in bestiam vertere, bestiam in hominem; præterquam in speciem. Dico in speciem; illudendo aspicientium oculis.

Quæ ergo leguntur de *Lycantropia*, sive mutatione in Lupos, nil aliud dicunt, quam insaniam luporum; morbum miserrimum, ab effusa atra bile, vitioque humorum ortum; qui

sensim extremam rabiem, ceterosque luporum affectus ingenerant.

De NABUCHODONOSORE, in bovem mutato, dixi suo loco. AUGUSTINUS CALMETUS, quem secutus sum, idoneis rationibus evincit, metamorphosin ejus nil aliud, quam morbi Lycantropici quoddam genus fuisse. Vide ipsummet in *Dissertatione* singulari de hoc argumento, *Commentario in Prophetiam Danielis* præfixa: & JOANNEM DE NYNAUD *Dissertatione Gallica de Lycantropia.*

§. XXIV.

De brutis quædam mira edentibus.

Legimus quædam, a brutis supra captum, neque secus præstita, ac si ratione pollerent. Atque istud jam PYTHAGORAS effecit; non aliis utique artibus quam magicis, quod ipse JAMBLICHUS in ejus *Vita cap.* 13. testatur. Aderat præsidium Dæmonis, qui ita instinctus regebat, ut actiones, si fuissent suapte natura profectæ, necessario arguerent usum rationis. Quam facile autem id Dæmon præstet, vel inde colligitur, quod homines non solum mansuetiora animalia, sed etiam belluas norunt ita edomare, ut dexteritas eorum habeat summam admirationem. Ipse quædam vidi voluptate magna, ac plane expertus sum veritatem sententiæ

— — — — *Labor improbus omnia vincit.*

§. XXV.

De sermone brutorum.

Ut nequeunt Spiritus dare bruto rationem, sive *discursum*, ut vocant,

ita nec ſermonem. Loquor autem de ſermone proprie dicto, non illo Pſittacorum, qui ſubſidio ſolius memoriæ, vel ab hominibus tribui poteſt.

Nempe unum ab altero, ſermo a ratione, pendet: & utrumque eſt contra naturam omnium mutorum, quæ hac de cauſa quemadmodum *bruta*, ſic *muta* quoque appellantur.

Itaque riſum, non gloriam captavit Gallus, qui noſtra memoria *de Lingua brutorum* perſcripſit.

§. XXVI.

De reditu ad vitam.

Minime omnium poſſunt Spiritus ſuſcitare mortuum, ſive animam, a corpore ſolutam, illi reddere: etiamſi, quod eſt probe notandum, in eo opere a Deo minime prohiberentur. Per mortem enim ſublatus, ruptuſque eſt omnis *nexus*, *exigentia*, ac *coordinatio extremorum*. Nempe corpus non eſt animo, quod gladio vagina; ut hunc inde vel eximere liceat, vel immittere pro libitu. Atque hæc etiam de anima brutorum dicta ſunto.

Ergo reditus quorumdam Ethnicorum ad vitam, Magiæ artibus adſcriptus, inane commentum eſt. Sive brutum, ſive homo, quæ dicunt revixiſſe, non plane obierant: vel ſopore, aut defectu ſpirituum pro mortuis jacebant.

Quod ſi vere dicis mortuum, Diabolus cadaver ſubiit, motuque membrorum ſpeciem viventis adſtantibus exhibuit.

Lege hic, quæ alibi, in *Nova Forma Theologiæ Biblicæ*, his temporibus accommodatæ *Tomo II. Libro III. Quæstione* 15. dicebam de SAMUELE ſuſcitato.

CAPUT III.

CONSECTARIA POTESTATIS SPIRITUUM IN ANIMAS SEORSIM.

Poſtquam de corporibus animalium, tam ſeorſim, quam ſimul cum anima, diſſerui, nunc præcipua quædam de anima ſola docebo.

§. 1.

De cogitationibus. Et *primo* quidem non ſuperat vires ſpirituum poſſe cogitationes excitare. Sed cum iſtuc faciunt, non faciunt proxime, ac per ſe ipſos; ſecus menti illaberentur, *actibuſque vitalibus*, quod fieri poſſe non ſolum Pſychologi, ſed etiam ſancti Patres conſenſu magno negarunt. Itaque has immittunt quodam modo, qui reſpondeat interno ſenſui; iſtum autem, quod ſpectat ſimplicem rei apprehenſionem, intellectus ſemper conſequitur.

Ita præcipit Sanctus MARCUS *Eremita* dictus *Exercitator Tractatu de Baptiſmo poſt medium*; ubi accepta occaſione verſat hoc ipſum argumentum. Multa etiam huc faciunt apud S. MACARIUM *Seniorem*, S. JOANNEM CASSIANUM, S. JOANNEM CLIMACUM, S. ANTIOCHUM, alioſque veterum Patrum, qui rem Aſceticam juvarunt.

§. 11.

Pariter in voluntate affectus varios, ut odii, amoris, tristitiæ movent; sed *primos*, quos vocant, qui accidunt homini præter voluntatem. Atque istud necessaria consecutione ex priori paragrapho infertur. *De affectibus.*

Notavit hoc antiquissimus TATIANUS, ac velut compertissimum tradidit in celebri *Oratione adversum Græcos*, *num.* 29. Accedunt alii Patres, præcipue Ascetæ illi, quos supra memorabam. Item HIERONYMUS in *Vita S. Hilarionis Abbatis*, ubi de amoribus puellæ Christianæ, a Gentili, qui hanc frustra deperierat, arte magica excitatis. Imo Philosophi quoque; nempe PORPHYRIUS *Libro II. de Abstinentia*, & PLATO *in Symposio* idipsum fatentur. *

Dæmones autem ante hos motus observant indolem, temperaturam corporis, præjudicatas opiniones, rationem educationis, habitus, consuetudines. Mox adhibent fomenta externa, turbant memoriam, intendunt phantasiam, ac rem ipsam cum irritamentis, ac illecebris omnibus ob oculos ponunt.

Vide HEIDEGGERI *Dissertationem de tentationibus spiritualibus*: LOCHNERI *Dissertationem de suggestionibus Sathanæ*, & opusculum *Cardinalis* BONA *de Discretione spirituum.*

---

* Vide MINUTIUM *num.* 45.

§. III.

Vel apud obſeſſos in ipſam animam nil licet Diabolo. Etſi enim, ut dixi, poſſit omnia in potentias *organicas*, & in appetitus; potentiæ tamen ſpirituales ſunt prorſus exemptæ. Repugnat, illas, quæ parent rationi, & libero arbitrio gaudent, contra ſuam naturam ab extrinſeco violenter impediri poſſe.

Vide quos jam laudavi PETRUM THYRÆUM, & AUGUSTINUM CALMET.

§. IV.

De habitibus, ac ſcientiis.

Nequeunt Spiritus ullum habitum, vel ſcientiam infundere mentibus. Quod inde patet, quia ſecus *proxime*, ut dicimus, ac *immediate* agerent in ipſam animam.

Novi perbene, Anabaptiſtas quoſdam, ex quo abjecerant avita ſacra, poſt cœnam Dominicam repente diſſeruiſſe de rebus divinis, explicaſſe Scripturam, ejuſque integra capita e memoria recitaſſe. Aut negabimus factum? Sed minime jam licet, poſtquam teſtes ſunt exhibiti non ſolum locupletes, ſed etiam oculati. Vide GUILIELMUM LINDANUM *Dialogo III. Dubitantii*, & PETRUM THYRÆUM *Libro de dæmoniacis cap.* 21. Similia dat ſcriptor *Vitæ S. Norberti*. Itaque dicendum, afflatu Diaboli hæc omnia contigiſſe. Alii exiſtimant, ſpiritum nequam ex his hominibus haud ſecus, ac ex obſeſſis fuiſſe prolocutum.

Aliter dicendum de Genio familiari Socratis. Nil enim vetat, quod Spiritus alicui assideat, ejusque in arte, vel scientia processus juvet. Vide Georgium Wonna in *Dissertationibus de Geniis*: Joannem Rivium *de familiari cujusque genio*, *seu de præsidio Angelico*: Joannem Clodium *de Spiritu familiari*: Petrum Danielem Huetium *Alnetanarum Quæstionum Libro II. cap.* 4. §. 3. Julium Floridum, *ad Apulejum de Deo Socratis a pag.* 688: Jacobum Sponium in *Libro Gallico*: *Recherches curieuses d'Antiquité a pag.* 231: Joannem Franciscum Simonium *Tomo II. Memor. Academ. Inscriptionum a pag.* 113. Denique addendum Opusculum Germaniæ nuper conscriptum a Godefrido Less *de Genio Socratis*.

§. V.

De libertate humana.

Nullus Spiritus potest Libertatem nobis adimere, sive ad bonum cogendo, sive ad malum. Et quidem neutrum, bonum inquam ac malum, jam haberet rationem sui; nam nec bonum potest dici, nec malum quod extorquetur. Exemplum luculentum habemus ex *Libro Jobi*, in quem nunc maxime commentamur. Satan enim vel accepta potestate vexandi ejus, & adhibitis machinis omnibus non potuit sanctissimum virum ad peccatum compellere.

Eleganter creditus Augustinus *Sermone* 197. *de Tempore*, *nunc* 37. *Appendicis novæ* de dæmone inducente ad peccatum dixit: *Alligatus est tanquam canis innexus catenis: & neminem*

potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate conjunxerit. Jam videte fratres! quam stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates, & cupiditates saeculi noli conjungere: & ille ad te non praesumit accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet a nobis consensum, sed petit.

§. VI.

De cognitione occultarum cogitationum.

Hic pariter monendum, Spiritus non posse liberas, sive hominum, sive spirituum aliorum cogitationes, quas volunt apud se continere, nulloque indicio produnt, intelligere. Hoc enim est solius Conditoris, non alterius, cujuscunque demum. Testes dogmatis sunt Literae sacrae, quae hoc Deo peculiare asserunt, summaeque perfectionis argumentum adhibent, quod solus introspiciat abditas in animis cogitationes. Sic apud *Jeremiam cap.* 17. *versu* 10. dicitur: *Ego Dominus, scrutans cor, & probans renes:* Et *Libro III. Regum cap.* 8. *versu* 39: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Mitto alios locos, praesertim Testamenti Novi, ex quibus satis est hoc unum annotare, quod sancti Evangelistae cognitionem cogitationum, ut certissimum divinitatis signum attribuant Servatori. Vide *Caput* 9, & 10. *Matthaei:* ac 11. & 15. *Lucae.*

Multa ex Patribus addit PETAVIUS *Libro I. de Angelis cap.* 7.

Itaque ut cogitationes hominum cognoſcant Spiritus, neceſſe eſt has edi externo ſigno; ſed ſenſa, vel affectus aliorum Spirituum intelligunt ex quadam locutione ſpirituali; ſive, ut appellant, *directione cogitationis ad ſpiritum alterum.* Fuſe de re iſta Theologi in *Tractatu de Angelis.*

Locus Auguſtini valde paradoxus.

Magnam admirationem habet, quod reperio apud ſanctum AUGUSTINUM *Libro I. contra Academicos cap.* 6. ubi ait: *Jam illud ſine ſtupore animi non queo dicere, quod amico noſtro volenti exagitare, flagitantique inſolenter, ut diceret, quid ſecum ipſe tacitus volveret, Virgilii verſum eum cogitare reſpondit.* * *Cum ille obſtupefactus negare non poſſet, perrexit quærere, quiſnam verſus eſſet: nec Albicerius, qui Grammatici ſcholam vix tranſiens vidiſſet aliquando, verſum illum ſecurus, & garrulus canere dubitavit.* Neque hoc retractavit aliquando ſanctus Pater, cum *Libro II. Retractationum cap.* 29. eadem de re feciſſet verba; imo addit ibi: *Accidit quod aliquem libellum de Divinatione dæmonum ſcriberem. In ejus quodam loco, ubi dixi, dæmones aliquando & hominum diſpoſitiones non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcere, rem dixi occultiſſimam audaciore aſſeveratione, quam debui. Nam pervenire iſta ad notitiam dæmonum per nonnulla*

* ALBICERIUM intelligit, literis nullis tinctum, qui Carthagine multis annis ad arcana prorſus certiſſime reſpondebat.

etiam experimenta compertum est. Sed utrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi, & ea spirituali, ista cognoscant, aut difficile potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri. Sed mali Scripturam attendi, quam dubium AUGUSTINO obortum.

Monitum salutare. Monendi ergo, qui turbantur a Dæmone, ut invigilent gestibus, & motibus suis; ne inde, velut indicio facto, in cognitionem eorum, quæ cogitant, venire Diabolus possit. Sed dudum de hoc præceperunt rerum Asceticarum scriptores magis celebrati.

CAPUT IV.

CONSECTARIA POTESTATIS SPIRITUUM IN FUTURA, IN OCCULTA, IN REMOTA; UBI CURATE DE AUGURIIS, PRÆDICTIONIBUS &c.

§. I.

Nulla cognitio futurorum in Spiritibus; Spiritus nullo modo cognoscunt futura. Hoc enim solius Dei esse & Scriptura, & Patres asseveranter docent; præsertim ubi agunt de vaticiniis, ac de veris, falsisque Prophetis. Quæ igitur recondita sunt in mente divina nonnisi ab illa hauriunt. Et recte TERTULLIANUS *cap.* 20. *Apologetici: Idoneum testimonium divinitatis veritas divinationis.* Quod si quædam prædixerunt, non accepta a Deo, erant effectus necessarii, verbi

gratia defectiones solis, ac lunæ. Quamquam nec ista certo, & absolute sciunt; quia possunt prodigio aliter evenire, quam fert naturæ ordinarius cursus. Exemplum dat statio solis ad imperium JOSUE.

saltem explorata.

§. II.

Futura, quæ quidem naturales, & necessarias habent causas, diversas tamen, nec invicem connexas, sed velut fortuito confluentes, norunt tantum probabile ratione. In quo sæpe eos conjectura fallit. Vel enim ista, puta pluviæ, tonitrua &c. justorum precibus, meritisque cœlitum prohibentur, vel præter omnem ordinem conflantur ad pœnam.

Porro futura, quæ existunt ex liberis cogitationibus, per se patet a Spiritu cognosci nequaquam posse.

Sed neque sciunt mista ex libero, & necessario, cum nempe arbitrium, & quædam externa simul concurrunt; ut bella, seditiones, aliaque multa; quæ licet partem magnam referantur ad hominum voluntates, nihilominus multa trahunt ab habitu corporum, locorum, temperie cœli, paratis præsidiis, vel impedimentis. Nam hæc semper solent in animos redundare.

§. III.

Possunt Spiritus quædam futura colligere ex cometis, non quidem per eorum naturam, ve-

rum consilio Conditoris, qui hos interdum adhibuit pro signis impendentium calamitatum. Quod fuse expenditur ab eruditis, qui de signis, atque portentis curatius scribunt.

Inter eos, qui probant, infausta præsagia ex cometis habere plus superstitionis quam veritatis, videri potest JOANNES SPENCERUS *Dissertatione* Anglica *de prodigiis Londini* 1665. 8. edita: BALTHASAR BEKKER in *Dissertatione* Belgica *de indiciis Cometarum Leouardiæ* 1683. 8: JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS in *quarta Orationum suarum*: denique PETRUS BÆLIUS in: *Pensées sur la Comète*. Qui liber ceteroqui in pestilentissimis habendus est.

§. IV.

Rursum ab experientia præteritorum quid possunt præsagire. Hac enim cum sint plene imbuti; & naturas indolesque omnium rerum, imo mentium propensiones calleant perfecte, quid queat ex illis, sive singulis, sive conjunctis, aptatisque inter se effici, habent penitus exploratum. Quamquam hæ conjecturæ debent dici, non præsagia; haud secus ac illa, quæ periti Medici, Physici, nec raro nautæ, & rustici prædicere solent.

§. V.

Item Spiritus quædam solent ex vaticiniis veris sublegere: &, cum horum sententiam nobis melius norint, occultissima hinc de rebus futuris eruere possunt. Atque hoc dudum in

Apologetico TERTULLIANUS notavit. Exemplo ſint Oracula Sibyllina, ex vaticiniis Prophetarum tranſcripta. Quod ſi mavis a Deo veniſſe (nec enim opus de hoc litem movere) habemus aliud exemplum in Ariolis, quibus Dæmones ſenſum Scripturæ ſecuti, futura multa aperuerunt.

§. VI.

De iis, quæ procul hinc ſiunt.

Nec raro Spiritus, quæ procul fieri, aut imminere ſciunt, aperiunt in aliis locis diſſitis; propter celeritatem, qua ferri quolibet momento poſſunt. Id quod præter alios jam divus ANTONIUS *apud Athanaſium in Vita*, cum diſcipulos adverſum fraudes mali Genii muniret, animadvertit. Ex profana hiſtoria præbet exemplum caro teſtudinis *apud* RHODIGINIUM *Libro II. cap.* 12: captæque Syracuſæ *apud* CEDRENUM.

§. VII.

Vaferrimum genus præſagiendi.

Notandum quoque, pertinere ad vafritiam Dæmonum, ut quædam velut vaticinia edicant, quæ ſunt ipſi facturi: & quidem facturi hac de cauſa, ut poſſint videri præſciſſe. Ita AUGUSTINUS *Libro II. de Geneſi ad Litteram cap.* 17. Hic fuit ſolennis modus, quo Divini olim, ac conjectores imperitis, creduliſque mortalibus illudebant. Vide eoſdem, quos dicam de Oraculis eſſe legendos §. *ſequenti.*

§. VIII.

De Divinatione Oraculorum.

Generatim hic monendus lector, quod generis nostri inimicus, paterque mendacii, quando consulitur de rebus, quæ nequit habere comperta, ea implicat responsionum ambiguitate; dicens ea, quæ congruunt utramvis in partem; ut quidquid eveniat, prænuntiasse dicatur. Unde TERTULLIANUS *cap.* 22. *Apologetici: in Oraculis autem, quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi.*

Eodem pertinet obscuritas, quæ tanta fuit; ut interpres egeret interprete, & sors ipsa referenda esset ad sortes; quemadmodum eleganter MARCUS TULLIUS fuit jocatus.

Quod si videt Dæmon, rem dubiam contra, quam dixerat, evenisse, culpam in Ariolos, & interpretes confert. Monet enim, hos perperam intellexisse, non solerter indagasse, non plene inspexisse. Specimina præsto sunt ex notissimis Oraculis.

Divinationibus Ethnicorum etiam istud derogat fidem, quod illæ non fierent in propatulo, sed in antris, lucis, cryptisque fanorum: neque raro nocturno tempore inter varios, insanosque ritus. Quid quod primo sacerdotibus solis enuntiari debebant.

Pythonissas ipsas non raro pecunia corruptas docet JAMBLICHUS *de Mysteriis Ægyptiorum* *Libro*

Libro I. cap. 11: CICERO *Libro II. de Divinatione.*

Ergo factum, ut Gentiles passim contemnerent ejusmodi prædictiones: & sese, quemadmodum ANNIBAL, & ALEXANDER, inde nunquam paterentur absterreri a signis conferendis.

Præter allegatos de Oraculis agunt, ex Patribus ORIGENES *Libro VII. contra Celsum:* EUSEBIUS CÆSARIENSIS *Libro V. Præparationis Evangelicæ*, & *Libro IV. Demonstrationis Evangelicæ:* HIERONYMUS in *Commentario ad Caput* 41. *Esajæ:* AUGUSTINUS *Libro de Divinatione Dæmonum:* THEODORETUS *Libro X. de Græcanicarum affectionum curatione.* Ex ceteris antiquis LUCIANUS in *Alexandro Pseudomante:* MAXIMUS TYRIUS *de Divinatione &c.*

Ex Recentioribus COELIUS CALCAGNIUS *Libello de Oraculis:* COELIUS RHODIGINIUS *Libro XI. Lectionum Antiquarum:* GERARDUS JOANNES VOSSIUS *de Theologia Gentili*, & *Physiognomia Christiana Libro I. cap.* 6: DIONYSIUS PETAVIUS *Libro I. de Angelis cap.* 9. & 10: atque inde compilator tam hujus, quam aliorum LAURENTIUS BERTI *de Theologicis Disciplinis Libro X. cap.* 12. Denique ADAMUS MALLEOLUS *de Oraculis profanis Paganorum.* Mitto ceteros apud JOANNEM ALBERTUM FABRICIUM, *Libro I. cap.* 17. *Bibliothecæ Græcæ*, & *cap. XII. Bibliographiæ Antiquariæ.* Nam istum indicasse contentus non transfero in mea scripta.

I

§. XIV.

De judiciaria Astrologia.

An autem Spiritus nil nosse ex astris, & nuntiare hominibus possunt? Multi enim, ut minime velint esse sidera eventuum causas, tamen pro signis habent, in quibus futuræ res velut in libro sint descriptæ. Ipse ORIGENES in illud Geneseos: *Fiant luminaria, & sint in signa:* hoc innuere videtur. Docet enim, quæcunque futura, etiam contingentia tantum, ac fortuita, esse in cœlis descripta. Verum alias est ostensum, eum velle, quod sidera indicent eventus necessarios, atque lege præfixa constantique redeuntes. Quo sensu & ipse MOSES *signa* appellavit; nam pone sequitur: *& sint in signa, & tempora. Eodem versu* 14. *capitis primi.* ARATUS, antiquissimus Poëta Græcus, qui sæculis fere duobus ac dimidio ante Christum floruit, & a TULLIO, GERMANICO CÆSARE, & AVIENO latinis versibus est redditus, *in Phænomenis* idipsum admonuit:

Idem illas hyemis venientis jussit & æstus
Signa dare, & quando terras sit tempus arandi.

Nominatim conjunctiones Planetarum nil divi portendere ostendit JOANNES CHRISTOPHORUS STURMIUS in *Actis Eruditorum Lipsiensium anni* 1683. *pag.* 169. De cetera Astrologia judiciaria, ejusque fraudibus, ac vanitate hic non est locus differendi. Toties protrita est, & superstitionis vanissimæ condemnata. Inter Patres videndus S. BASILIUS *magnus Homilia* 6. *in Hexaëmeron:* Sanctus CHRYSOSTOMUS in *Orationibus de Fato, & Providentia:* Sanctus AU-

GUSTINUS *Libro II. de Doctrina Christiana*, & *Quæstione* 45. *ex LXXXIII*: THEODORETUS *Libro VI. de Græcis affectionibus curandis*: Sanctus LEO *Sermone 6. de Passione*: & *Epistola* 15. *olim* 93. *a capite* 10. Ex profanis quamplurimos memorant JOANNES ALBERTUS FABRICIUS *Libro III. Bibliothecæ Græcæ cap.* 20: JOANNES MOLANUS in *Bibliotheca Materiarum*. MARTINUS LIPPENIUS in *Bibliotheca Theologica*. Mihi sufficit hic commendasse JOANNIS HENRICI STUSSII *Commentationes sex de orbe lusibus ingenii Astrologicis fascinato Gothæ ab anno* 1745: & ANONYMI Dissertationem Italicam *dell' Influsso degli Astri ne' corpi terrestri*, quæ *anno* 1757. *Patavii forma* 4. lucem aspexit.

APPENDIX

DOCUMENTORUM

QUÆ

SINT MAGNO USUI

DE POTESTATE SPIRITUUM RESCIRE CUPIENTIBUS.

DOCUMENTUM I.

Quædam generalia præmittuntur.

Non est consultum nullo delectu hominum in hanc controversiam de potestate spirituum se immittere. Multum enim in toto negotio sive jactantiæ, sive studiis partium datur; præsertim ab eo tempore, quo quilibet, ut maxime rudis, & illiteratus, sibi omnia putat licere in arcana Theologiæ: ac gravissimis de rebus haud aliter pronuntiat, ac si ætatis partem magnam in iis æstimandis posuisset.

DOCUMENTUM II.

Non est temere adhibenda fides sive narrationibus, sive confessioni ipsorum, qui se Magos dicunt. Ego de me ingenue profiteor, me pleraque hujus generis credulitati, studioque rerum, quæ monstri quid habent, tribuere so-

lere. Proni omnes ſumus ad mira, nova, inaudita ſive audienda, ſive referenda.

Documentum III.

Omnibus tamen, *nullo excepto*, negare fidem, non eſt hominis prudentis, & Philoſophi. Scio quædam *certitudine morali*, & comperi iis teſtibus comperi, quibus ego ſi adverſer, deinceps nemini, quamcunque interponat auctoritatem humanam, credere poſſim. Quod ſi horum ſenſus ſunt deluſi, alia opera, quam dæmonis deludi minime potuerunt.

Documentum IV.

Revera apud plebeculam multæ ſunt ſuperſtitiones; quod maxime apud populos ſeptentrionales experientia docet, & auctores graviſſimi oſtendunt. Poſſem & ſacra tribunalia appellare; verum qui ibi jus dicunt, & in cauſa *reſervatarum noxarum* debent toties ad Epiſcopos confugere, nos dudum levarunt iſto onere laboris.

Documentum V.

Hodie refrixit ſtudium profanarum religionum; quando hoſtes acerrimos habent. Unde factum, ut quidquid habet ſpeciem illarum, tegatur ſolicite, vel auferatur. Certe quamplurimos effectus ſuperſtitioſos deprehendimus, qui olim videbantur vel cauſis naturalibus fieri: vel poteſtati Eccleſiæ, ac conſilio Dei occulto tribuebantur. Ejuſmodi ſunt *Implantatio* mor-

borum in arbores, *Excommunicatio*, in morem ſententiæ judicialis lata in vermes, mures, aliaque animalcula, agros vaſtantia. *

Documentum VI.

Frequentius eſt, quod effectus, alias certiſſimi (ſive ſecundum, ſive ſupra naturam ſint) per adjunctas ceremonias ſuperſtitione fœdentur; in quo ingens eſt pertinacia ruſticanorum, qui ſpuria a ſinceris, ubi ſunt inter ſe confuſa ac implexa, ægerrime ſecernunt.

Idem dicendum de indigno, verum communi, more res ſacras adhibendi ad profanos effectus. De quo infra Documento XI.

Documentum VII.

Alia quædam, eaque ſingularia.

Quare non eſt conſultum, ut Catechiſtæ, Concionatores, imo Theologi, qui lingua vernacula ſcribunt, recenſeant ſpecies ſuperſtitionum, pactorum, maleficiorum &c. Nam vulgus hinc venit in notitiam rerum, ſibi minime congruentem: reſcitque varia, quæ tutius neſciret; quando *ignoti nulla cupido*, ut monet Poëta.

* Nil dico de *Purgationibus vulgaribus*, quæ fiebant certamine ſingulari, candente ferro, aquis, tranſitu per ignem &c. De iſtis enim jam ante eſt tranſactum. Vide S. AGOBARDUM *Libro contra judicium Dei, ſive damnabilem opinionem putantium divini judicii veritatem igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri:* atque alios quoſdam, qui eum conſecuti, morem barbarum impugnarunt. Enumerantur autem apud JOANNEM ALBERTUM FABRICIUM *Bibliographia Antiquaria cap. XII. Titulis* Ordalium: Parthenomantia &c.

Documentum VIII.

De maleficiis Magicis, dæmonumque infestationibus non minus ex Evangelio constat, quam de dæmoniacis, sive obsessis. Id quod multorum diligentiam effugit. Sic *Lucæ cap.* 13. *versu* 16. legitur: *Hanc filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas ecce decem, & octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die Sabbathi?* Item *Actorum cap.* 10. *versu* 38: de Servatore affirmat: *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo.*

Quod spectat imperium Magorum in Dæmones, nam istud ex maleficiis clarius elucet, dixi in *Nova Forma Theologiæ Biblicæ his temporibus accommodatæ Tomo I. Libro* 2. *Quæstione* 2. *ad Caput* 6. 7. 8. 9. *Libri Exodi.*

Documentum IX.

Quam impie, & immaniter mala multa solent a Magis inferri, tam stulte, inepteque morbi hominum, ac animalium, sterilitas agrorum, grando & tempestates artibus veneficorum, & sagarum adscribi solent. *

Documentum X.

Quod si vere videtur quid magicum intercedere, tenendum tamen, herbas, lapides, ligna,

* Hanc in rem iterum prostat aureolus libellus S. AGOBARDI, Episcopi Lugdunensis, *de Grandine, & tonitruis*; ubi nescio an vehementius, an pulchrius exagitet popularem errorem.

metalla nulla &c. reperiri, quæ habeant vim insitam adversus Diabolum. Unde qui talia adhiberet, Diabolum unum Diabolo alio pelleret; quod fit oppido frequenter. Manifeste enim superstitiosa sunt ejusmodi amuleta; quocunque demum nomine appellentur. PETRUS THYRÆUS, harum rerum si quis alius sciens: quique duobus abhinc sæculis judicio magno de *Spiritibus*, *Apparitionibus*, *Dæmoniacis* &c. perscripsit, ex instituto id persequitur.

Novi, quosdam hæc præsidia vel ideo probare; quod Deus possit corporibus dare virtutem ad Dæmonem pudore opplendum; præsertim si adhibentur in contemptum illius. Et memini, me miratum vehementer, quando legi in opere doctissimi scriptoris, quem viventem veneratus sum impense, & nunc sublatum magnopere desidero, *Rutam* * hoc ex capite commendari. Germana ratio, cur rebus corporeis tanta vis sit tributa, haud dubie ex eo debet peti, quod Magi, vel Dæmones ex ore obsessorum, id fassi fuerint. Equidem Doctores, ut sunt valde ingeniosi in argumentis procudendis, contendunt magnopere, Diabolum interdum a Deo adigi ad dicendam veritatem, & ejusmodi arcana prodenda. Sed quis securum de hoc me præstat? Debet autem præstare; quando quod hic asseritur legibus naturæ, & principiis evidentibus repugnat.

Quod oppositum de jecore piscis in *Libro Tobiæ* legitur, hos nihil juvat. Nec enim sci-

* Genus herbæ obvium, nobis Raute.

mus, an illa virtus recta valuerit in dæmonem: an solum, quod est propius vero, duntaxat removerit, quod dæmoni, his nuptiis infesto, faciliores aditus præbuisset.

DOCUMENTUM XI.

Præsidiis naturalibus ne juvat quidem *Benedictiones* jungere; si non sint ejus generis, quod ipsa Ecclesia ratum habet. Sæpe hoc inculcant Patres, docentque, Dæmones data opera utilia inanibus, aut noxiis, vera falsis, sacra profanis permiscere; quo gravius scilicet imponere hominibus incautis, ac rudibus possint. Audiamus unum CHRYSOSTOMUM *Homilia* 8. *in Epistolam ad Colossenses: Hæc est cogitatio Satanica*, inquit: *hæ sunt diabolicæ insidiæ, tegere imposturam, & in melle dare venenum. Quoniam novit, se illa alias non persuadere, hac via est ingressus ad amuleta, & aniles fabulas. Et crux quidem affecta est ignominia; literæ autem in majori honore sunt habitæ: Christus fuit ejectus, & introducitur anus delirans, & ebria: conculcatum est nostrum mysterium, & choros ducit fraus diaboli.* *

* Ad artes Magicas plerumque adhibentur res sanctissimæ, ut cultus Deitatis profanetur, & homines facilius deludantur. Sic Clerici & Sacerdotes debent operam conferre ad thesauros reperiendos, consecratione instrumentorum, litatione cœlestis victimæ &c. &c. Sic *Feriæ quatuor Temporum*, diesque maxime festi, ac religiosi destinantur exercendis impietatibus. Idem de verbis Scripturæ, & Ecclesiæ: de sacris Exuviis, de ipsis *Hostiis consecratis* dicendum. In *Appendice ad Concilium Lateranense III. apud Harduinum Tomo VI. Conciliorum p.* 2. *columm.* 1863. legitur, ad ALEXANDRUM III. Pontificem Maximum, fuisse relatum

DOCUMENTUM XII.

De pactis, & eorum solutione. Quæritur apud eos, qui tradunt doctrinam Morum (& quæritur prudenter) *primo* an, *secundo* qua ratione *Maleficia* evertantur? Quæ ut breviter expediam, sic pronuntio. Certum est, non solum licere, sed etiam oportere Diaboli opera, artesque destruere. Amoveatur, comminuatur, corrumpatur, in cineres redigatur, quidquid ex pacto cum Inferis alicubi positum, defossum, constructum fuit. Ipsæ particulæ, ad Eucharistiam solitæ adhiberi (sive sint consecratæ, sive non, nihil inquiro; nam discernere id homini nunquam licet) eximendæ sunt; ne iterum tot flagitiis possint, & sacrilegiis deservire.

Sed illud quoque est certum, caveri magnopere debere, ne Dæmonis pactum quoddam solvatur alio novo pacto, quod supra *Documento X.* indicatum obiter, nunc curatius explicabo.

Receptum est hodie apud Theologos saniores, sine scelere fieri non posse, ut quis cum Dæmone paciscatur quocunque modo. Quare unum nunc quæritur: quidnam sit tandem, quod habet rationem pacti novi?

---

quod uxor, ut mariti amorem in se accenderet, suscepto corpore Christi, & in ore retento, eidem osculum fixerit. Verum in pœnam tanti abusus non potuisse sacram hostiam trajicere. Versam enim in carnem adhæsisse molaribus dentibus, & carne alia succrescente, cum series gestæ rei Romam scriberetur, etiamnum in ore fuisse.

Respondeo. Si Dæmon promisit, se quadam conditione tibi minime nociturum, conditione impleta speciem novi pacti cum illo inibis; ni forte conditio sit ejus generis, ut aliunde, videlicet a precibus Ecclesiæ, aut cognata sanctitate habeat vim dæmonis coërcendi. Verbi gratia audisti, quamdam Magiæ suspectam edixisse, posse se omne vinum, quod est in cellis, vertere in acetum, eo solo excepto, cui quid mixtum sit vini ejus, quod sancti JOANNIS festo die sacrari solet. Tum enim, si vinum sacratum infers in cellam, non inibis novum pactum; quia precatio Ecclesiæ, aliunde habens vim averruncandi mala, præbet idoneam rationem judicandi, Maleficam non esse mentitam. Sed etiam oppositum exemplo alio declarabitur. Vulgaris est persuasio, malefico nulli patere aditum in conclave, in quo scopæ inversæ statuuntur: item, ex pacto diabolico multis noceri, si a saga palpentur; si vero palpatus hanc repercutiat, damnum nullum sequi. Nempe ut quidam admittunt superstitionem, si quid agunt, quo acto Dæmon nocere debet, sic alii admittunt agendo aliud, quo acto Dæmon non vult nocere. Aut unde repercussio, quam dixi, vel inversio scoparum habet vim, quam illo ex pacto, quod Diabolus cum impiis inivit?

Dicunt equidem, hac ratione non tam fieri pactionem, quam paranti nocere obicem poni. Porro innoxium hoc esse: neque aliter habere sese, ac instrumenti cujusdam magici destructionem. Eum enim, qui hujusmodi quid agit, non habere fidem Dæmoni; verum communi persuasione veritum, sibi mala imminere a Diabolo, ejus machinis impedimentum afferre.

Addunt: qui tale quid facit, ut damnum avertat, tam parum habet animum cum Dæmone paciſcendi, ac ille, qui cauſa eadem non agit quid, vel patitur, ſed omittit, quod erat facturus. Utrique enim licet per omnes leges, ſe non temere Diaboli inſidiis exponere.

Sed hinc tantum ſequitur, id fieri ignoratione, atque adeo ſine ſcelere *meditato*; porro ipſam ſuperſtitionem nunquam abeſſe. Quid quod Chriſtianus ſic derogat fiduciæ in Servatorem: neque ullum ſive in Scriptura, ſive in Patribus ſuffragium habet. Diſerte enim utrobique jubemur adhibitis præſidiis ſacris cetera dimittere, ac Dæmonem nil vereri. Atque in hanc ſententiam non uno loco vehementer pro more divus CHRYSOSTOMUS declamat; præſertim in *Orationibus adverſum Judæos.* Certe nuſquam legimus, Chriſtianos primos ſibi iſta indulſiſſe: tantumve dediſſe dictis, viribuſque Diaboli. Et probe norant, id indignum homine, qui fiducia in Servatorem, aliiſque præſidiis ejus omnes machinas disjicere poſſit.

DOCUMENTUM XIII.

Sunt quidam homines, qui Dei judicio, quam juſto, tam arcano magis patent inſidiis Satanæ, & Magorum.

Et *primo* quidem qui non ſunt rite ſacro fonte tincti. Atque hoc indicio ſæpe eſt patefactum, quanto bono hucuſque caruiſſent.

Secundo qui ſibi Diabolum vel imprecantur ipſi, vel ſua malitia diras aliorum in ſe provocarunt. *

Tertio ſuperſtitioſi. Jam enim LACTANTIUS dixit: ſtulte coli dæmones, ne noceant; quia his præcipue nocerent, a quibus timerentur.

Quarto qui habitant in domo, ubi blaſphemiæ, & enormia peccata dominantur. Quod uſus heu! nimis frequens, præſertim apud infimam plebem oſtendit.

Quinto qui bruta libidine ſunt. Quod patet ex *capite 6. Tobiæ verſu 16. & 17: Tunc Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* ** Verbo, hos infeſtat Dæmon, qui morum licentia, ac flagitiis ſe illi manciparunt.

---

* Imprecationes ſæpe a Deo audiri non ſolum experientia, ſanctique Patres, verum ipſa Scriptura apertiſſime docet. Sic apud *Eccleſiaſticum cap. 4. verſu 5.* habetur: *Maledicentis tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius.* Item *ibidem cap. 3. verſu 11: Benedictio patris confirmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Fuſe de his GRETSERUS in opere de *Benedictionibus, & Maledictionibus.*

** Vide GASPAREM SANCTIUM, & NICOLAUM SERARIUM Commentariis in eum locum.

Sexto qui palam contemnunt res ſacras; quemadmodum *Benedictiones*, *Exorciſmos*, exuvias Cœlitum &c. Hac in re, ut teſtantur, qui curam animarum geſſerunt, vindicta Dei manifeſta ſæpiſſime elucet.

Septimo indigne ad menſam Dominicam accedentes. JUDAM enim imitantur, in quem *poſt buccellam tunc introivit Satanas.* Mutatur hoſpes: & vacuum domicilium alteri, quem minime velles, relinquitur.

Octavo qui vitam emendatiorem aggrediuntur. *Fili!* inquit *Eccleſiaſticus*, *accedens ad ſervitutem Dei*, *præpara animam tuam ad tentationem.* * Idipſum conſenſu magno Patres docent. Lege ſanctum CHRYSOSTOMUM *Homilia* 3. *in illud Eſajæ:* Vidi Dominum: Sanctum PAULINUM *Epiſtola* 2. *nunc* 24. *ad Severum:* Sanctum NILUM *Epiſtola* 22: EUSEBIUM GALLICANUM *Homilia* 8. *ad Monachos.* Breviter TERTULLIANUS *Libro de Pœnitentia cap.* 7: *Tunc maxime* (diabolus) *ſævit*, *cum hominem plene ſentit liberatum: tunc plurimum accenditur*, *dum extinguitur.*

DOCUMENTUM XIV.

Quomodo Dæmon tentet?

Magis timendæ ſunt Dæmonis tentationes, quibus animæ nocet. Atque in iſtis ſuperandis plerumque remiſſiores ſunt Chriſtiani, quam in *Maleficiis*, ceteriſque in-

* *Cap.* 2. *verſu* 1.

commodis avertendis. Ne igitur in hac præcipua parte nos ipsi deseramus, necesse est, illa præsidia cognoscere, ac velut in numerato habere.

Quod ante, quam fiat, dicendum de modo, quem Dæmones tenent in tentando. Et *primo* quidem solent invadere superbos, deinde otiosos, & imparatos. Imparatos autem voco non solum, qui carent armis spiritualibus; sed etiam qui negligunt orationem, & non sunt imbuti principiis Evangelicis, vel cognitione rerum ad salutem pertinentium. Post aggrediuntur illos, qui sunt ingrati beneficiis Dei, seque ultro, ac quadam obstinatione occasionibus peccandi ingerere solent. Nam in hos omnes iis plusculum licere per se est manifestum. *S. Chrysostomus* pluribus locis magnopere metuit de melancholicis, ac tristitiæ deditis; imo docet, quod tristitia dæmone ipso sit deterior. Vide *Libros duos posteriores ad Stagirium.*

Secundo tentant paulatim, ac velut per gradus, facto initio a levioribus, & convellendo extima propugnacula. Atque hæc est admonitio omnium Patrum, qui præcipiunt de re Ascetica.** Itaque alliciunt ad pravos sodales, levant animum metu minoris peccati: avertunt a monitoribus, concionibus sacris, usu mysteriorum: constringunt peccatis dubiis, aut certe ejusmodi, quæ confinia sint peccatis certis, & gravibus.

** Vide quæ dixi *Libro X. de Eloquentia Patrum Titulo*: Peccatum leve: & *Libro XI. Titulo*: Tentationes.

Tertio aſſultus ordinarius fit in phantaſiam, & potentiam imaginativam; deinde in ſenſus, quia in ipſam animam, atque affectus, ut dixi, recta nihil poſſunt.

Quarto eligunt tempus iniquiſſimum: & nobis, quod quidem ſalutem ſpectat, maxime importunum.

Quinto eorum ſuggeſtiones, ac commotiones fere cum impetu fiunt, & turbatione. Quod explicat curate S. IGNATIUS *ad calcem Exercitiorum Spiritualium*, ubi de Regulis ad ſpiritus diſcernendos.

Sexto ſi impetum non ſemel tantum, ſed iterum, atque iterum fruſtra dederunt, non ideo ſpem abjiciunt, aut animis cadunt.

Septimo ſæpe ultro deſiſtunt a tentatione; ut ſecuros, negligentes, incautos, temerarios efficiant. Quod S. MACARIUS non ſemel admonuit.

Octavo redeunt dein, admovent novos arietes: ac præſertim ab ea parte invadunt, ubi experti ſciunt, hominem facilius cadere: vel ubi habitudo corporis, negotia, occaſiones, & illecebræ plus ſpei oſtendunt.

Nono quos jam poſſident, minime fatigant, niſi ad alios quoque occaſione data pervertendos.

Decimo Magia fere ultima eſt tentationum: & quam ſecundum ante dicta raro permittit Deus.

Deus. Quod si vehemens, & firma sit suspicio Magiæ: jamque apparent indicia perversitatis apud effrænam juventutem; tum utique ad Deum, virosque non pios tantum vel doctos, sed etiam prudentes, atque expertos recursus fiat: leganturque opuscula, quæ doceant rationem hoc in negotio progrediendi. Maxime placent, quæ tradit P. FRIDERICUS SPEE in *Cautione Criminali*, *seu de Processibus contra Sagas Dubio XXX.*

DOCUMENTUM XV.

& quomodo sit illi resistendum?

Optimus modus resistendi diabolo est ille, quem sacræ Literæ, & prudens arbiter conscientiæ, qui tentatum intus norit, suppeditant.

Unde *primum* est tentationem illi aperire, cum certissima fiducia supernæ opis. Hoc est præcipuum caput Apostolici moniti, *volentis nos resistere fortes in fide.*

Secundo Christus tentatus exemplar est omnium tentatorum: ac ideo semper ob oculos habendus.

Tertio cogitandum, esse *genus dæmoniorum, quod non ejicitur nisi in oratione, & jejunio* *; generatim autem nos omnes *vigilare* jussos, *& orare; ut non intremus in tentationem.* ** Vi-

* *Matthæi cap.* 17. *versu* 20: & *Marci cap.* 9. *versu* 28.

** *Matthæi cap.* 26. *versu* 41.

gilare idem eſt ſecundum Patres, ac ſibi parum, imo nihil, gratiæ vero, & auxilio cœleſti quamplurimum tribuere.

Quarto, porro vel ſoli nomini JESU cum magna fiducia invocato Scriptura vim admirabilem, & ſupra omnes naturæ vires tribuere ſolet. Sed etiam antiqui Patres. Vide præ aliis TERTULLIANUM in *Apologetico cap.* 23: ORIGENEM *ad finem Libri I. & Libro III. fere toto contra Celſum:* S. CYPRIANUM *de Vanitate Idolorum:* LACTANTIUM *Libro II. Inſtitutionum divinarum cap.* 16: S. GREGORIUM NAZIANZENUM *ad Nemeſium:* S. CHRYSOSTOMUM *Homilia* 8. *in ad Romanos.* &c.

Quinto idem effectus eſt in Cruce ſignificata. Hac enim homo-Deus & peccatum, & Diabolum, & mortem ſuperavit: ac his armis eadem vult a nobis ſuperari. De virtute Crucis quamplurima ex Patribus tranſcripſi *Libro XI. de Eloquentia Patrum Titulo XI.* de Cruce &c.: item ejuſdem operis *Libro XIII. in feſtos dies Inventæ, & Exaltatæ Crucis.* Addit alia MARTINUS GERBERT *Liturgiæ Alemannicæ Parte II. Diſquiſitione* 7. *cap.* 2. *a pag.* 722.

De Dæmonum Tentationibus univerſe præclara habemus apud LACTANTIUM *Libro VI. Inſtitutionum divinarum cap.* 4: Sanctum ATHANASIUM in *Vita S. Antonii Abbatis:* Sanctum EPHRÆM *Sermone, quomodo anima cum lacrimis debet orare Deum, quando tentatur ab inimico Tomo I. novo:* S. CHRYSOSTOMUM *Homilia* 13. *in Matthæum:* SULPITIUM SEVERUM

Epiſtola 1. *ex nuper repertis ad Claudiam Sororem:* S. FAUSTUM REJENSEM *Libro I. de Gratia,* & *libero arbitrio cap.* 4. *a medio:* S. JOANNEM CLIMACUM *Gradu XV:* S. GREGORIUM *magnum in Libris Moralium* &c. &c.

AUCTORES

HIC RARO CITATI, SED SÆPE CONSULTI, INTER SE COLLATI, RECENSITI, ILLUSTRATI, CASTIGATI.

MARCUS TULLIUS CICERO *Libris duobus de Divinatione.*

LUCIUS APULEJUS *Oratione de Magia:*

Metamorphoseos de Asino Libris XII.

De Deo Socratis.

PORPHYRIUS *Libro de Dæmonibus.*

JAMBLICHUS CHALCIDENSIS *Libro de Mysteriis.*

AMMIANUS MARCELLINUS *Libro XXI. Rerum gestarum cap.* 1.

S. AUGUSTINUS *Libro de Divinatione Dæmonum:*

Libris pluribus de Civitate Dei:

Libro II. de Doctrina Christiana a cap. 20.

Epistola 138. *ad Marcellinum* &c.

THEODORETUS *Libro III. de Græcanicarum affectionum curatione.*

S. AGOBARDUS *Libro de Judaicis superstitionibus:*

Libro de Grandine, & Tonitruis:

Libro contra judicium Dei, sive damnabilem opinionem putantium, divini judicii veritatem igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri.

RABANUS MAURUS *de Magicis artibus, Tomo VI. Operum.*

MICHAEL PSELLUS *de Dæmonum Energia, seu operatione.*

JOANNES SARESBERIENSIS *Libro I. & II. Policratici.*

PETRUS BLESENSIS *Epistola* 65. in *Fragmento de Præstigiis fortunæ.*

GUILIELMUS PARISIENSIS *de Universo, secundæ Partis principalis partibus tribus.*

S. THOMAS *Secunda Secundæ Quæstione* 92. & 96.

Libro II. contra Gentes a cap. 46: & *Libro III. contra eosdem a cap.* 109.

Opusculo XV. de substantiis separatis, seu

de Angelorum natura ad Fratrem Reginaldum.

Opuſculo XXV. qui eſt *Tractatus de Sortibus ad Jacobum de Burgo.*

Opuſculo XXVI. de Aſtrorum judiciis ad Fratrem Reginaldum.

JOANNES GERSON *de erroribus circa artem Magicam.*

DIONYSIUS CARTHUSIANUS *Opuſculo de Superſtitionibus.*

Opuſculo contra Magos.

JOANNES TRITHEMIUS in *Quæſtionibus de poteſtate Maleficarum:* Et *contra Maleficos:* Et *de cauſis, & curatione Maleficiorum:* Item *de Dæmonibus, & artibus maleficis, & ſuperſtitioſis.*

PETRUS POMPONATIUS *de naturalium effectuum cauſis, ſive de Incantationibus &c. Edit. Baſileenſis* 1567. *in* 8.

AUGUSTINUS NIPHUS *Libris III. de Dæmonibus.*

FRANCISCUS VICTORIA *de Magis.*

PAULUS GRILLANDUS *de Sortilegiis.*

HIERONYMUS ZANCHIUS *de Divinatione tam artificiosa, quam artis experte.* *

PETRUS BINSFELDIUS *de Confessionibus Maleficarum.*

JOANNES WIERUS *de Præstigiis, & Incantationibus.*

BENEDICTUS PERERIUS *Commentario in Genesin*, & multo magis *adversus fallaces, & superstitiosas artes, id est de Magia, de observatione somniorum, & de Divinatione Astrologica Libris tribus.*

CONSTANTINUS PARENTINUS *de Incubis, & Succubis.*

PETRUS THYRÆUS *de Apparitionibus Spirituum:*

De locis infestis:

De Dæmoniacis &c.

JOANNES DE NYNAUD *de la Lycantropie.*

FRANCISCUS SUAREZ *Tomo II. Libris octo de Angelis:* & *Tomo X. Libro de Superstitione.*

CÆSAR LONGINUS in *Trino Magico.*

---

* *Tomo VIII. Operum.* Seorsim prodiit *Hannoveræ* cum THOMÆ ERNSTI *Astrologia Divinatrice* 1610. 8.

MARTINUS DELRIO in *Disquisitionibus Magicis.*

JACOBUS GRETSERUS *de Benedictionibus, & Maledictionibus.*

SEBASTIANUS MICHAELIS in: *Histoire véritable de ce, qui s'est passé sous l'Exorcisme de trois filles possédées au Pays de Flandres, avec un Traité de la Vocation de Magiciens, & des Magiciennes, Paris* 1623. *II. Volum. in* 8.

ADAMUS TANNERUS *Tomo III. Theologiæ* suæ, *Disputatione* 4. *de Justitia, Quæstione* 5.

FRIDERICUS SPEE in *Cautione Criminali, seu de Processibus contra Sagas.*

GABRIEL NAUDÆUS in: *Apologie pour tous les grands Personnages, qui ont été faussement soupçonnés de Magie.* *

HENRICUS MARIA BOUDON in *Vita venerabilis P. Josephi Surin Societatis Jesu.*

GERARDUS JOANNES VOSSIUS *de Theologia Gentili, & Physiologia Christiana, sive de Origine, ac progressu Idololatriæ, ad veterum gesta, ac rerum naturam reductæ Libris IX.*

---

* Ex editione, quæ prodiit *cum Observationibus Amstelodami* 1712. *in* 8. Idem in opere *de Artibus politicis* passim negat, magos esse.

GEORGIUS STENGELIUS *de Angelis.*

JOSIAS SCHUTTE *de fictis miraculis Magorum, Londini* 1645.

JOANNES JACOBUS BOISSARDUS *Tractatu posthumo de Divinatione, & Magicis præstigiis.*

JOANNES TOBIAS MAJOR *Dissertatione de natura, & cultu Angelorum, facta collatione Paganorum, Judæorum, Mahumedanorum, & Christianorum,* 4. *Jenæ* 1653.

DIONYSIUS PETAVIUS in *Libris Theologicorum Dogmatum, de Angelis.*

THEOPHILUS RAYNAUDUS in *Theologia Naturali, de Intelligentiis:*

in *Christiano Christi patris, & matris Ecclesiæ filio:*

in *Stigmatismo sacro, & profano* &c.

CAROLUS FEVRET *de l'Abus.*

JOSEPHUS MARIA MARAVIGLIA in *Pseudomantia Veterum, & Recentiorum explosa, Venetiis* 1662.

CHRISTIANUS FROMANNUS *Libro de Fascinatione.*

Cardinalis BONA *Opusculo de Discretione Spirituum.*

PAULUS ZACCHIAS in *Quæstionibus Medico-Legalibus.*

JOSEPHUS GLANWIL in *Sadducæismo triumphato.*

BALTHASAR BEKKER in opere, quod inscribitur: *le Monde Enchanté, ou Examen des Sentimens touchant les Esprits.*

JOANNES BAPTISTA THIERS in *Traité des Superstitions IV. Volum. in* 12. *

Curiosités inouies: Hoc est JACOBI GAFFARELLI *Curiositates inauditæ de figuris Persarum Talismanicis cum Notis, & ex Editione Gregorii Michaëlis Hamburgi* 1676. *II. Volum. in* 12. *cum Figuris.* **

JOANNES HENRICUS DECKER in *Spectrologia, seu Discursu Philosophico de Spectris.*

JOANNES MOESCHIUS *de Viris illustribus, pacti cum Inferis, Dæmonibusque suspectis, Wittembergæ* 1694. *in* 4.

---

* Quod operis valde æstimatur a rerum peritis.

** Addendus C. SORELLI Liber Gallicus *adversus Gaffarellum.* Sunt vero *Talismanes* imagines averrunçæ, Astrologica, & Magica arte compositæ.

Petrus Nicolaus Bonamius *Dissertatione de Magiæ ad Theologiam Gentilem ratione.* *

C. Franciscus Paullinus in der zeitverkürzenden Lust *Parte II. a pag.* 25. de eruditis, qui præbuerunt suspicionem pacti cum dæmone.

Elias Blancardus *Dissertatione de Exorcismis Magicis.* **

Christianus Thomasius *de Crimine Magiæ.*

Dominus de Vaillemont in: *Traité de la Baguette Divinatoire.*

Fridericus Menzius *Dissertatione de Plantis, quas ad rem Magicam facere crediderunt veteres, Lipsiæ* 1705.

Fridericus Gotth. Freytagius *Dissertatione de Incantationibus Magicis, Lipsiæ* 1710.

Jacobus Josephus Duguet *Dissertation sur les Exorcismes.*

Petrus leBrun in: *Histoire Critique des Practiques Superstitieuses. IV. Volumes in* 12.

---

* Exstat *Tomo IV. Historiæ Academiæ Parisinæ Inscriptionum a pag.* 34.

** *Tomo VI. ejusdem Historiæ Academiæ Parisinæ Inscriptionum a pag.* 74.

JOAN. CHRISTOPHORUS FRANCKIUS in der Richtigkeit der vermeynten Hexerey.

GE. CHRIST. WAGNER *de Eruditis, spirituum familiarium usu suspectis, Lipsiæ* 1715.

JOANNES POTTERUS *Libro II. Archaeologiæ Græcæ.*

PETRUS FRIDERICUS ARPE *Libro singulari de prodigiosis naturæ, & artis operibus* Talismanes, & Amuleta *dictis, Hamburgi* 1717. *in* 8.

CHRISTIANUS BREITHAUPT *Dissertatione de Dæmonibus, eorumque existentia, natura, atque operationibus*, 4. *Helmstadii* 1719.

Disputationibus duabus de Dæmonum existentia, 4. *ibidem* 1722.

Programmate de Angelis, substantiis mere spiritualibus, 4. *ibidem* 1741.

JOANNES GEORGIUS KEYSLER *Dissertatione de mulieribus fatidicis veterum Celtarum, gentiumque Septentrionalium.* *

RICHARDUS BAXTER in *Sermone de Apparitionibus, germanice reddito*, 8. *Norimbergæ* 1730.

* Adjuncta est ejus *Antiquitatibus selectis Septentrionalibus, & Celticis.*

FRIDERICUS HOFMANNUS *Dissertatione de Diaboli potentia in corpora Tomo V. Operum.*

JOACHIMUS OPORINUS in der erläuterten Lehre von den Engeln, 8. Hamburg 1735.

SAMUEL WESLEJUS *Dissertatione de Magia Veterum.* *

GODOFR. CHRISTIANUS ROTHIUS in *Commentatione de imagunculis Germanorum Magicis, quas Alrunas vocant, Helmstadii* 1737. *in* 4. *cum* JOANNE SAMUELE SCHMIDIO in *Commentatione de Alrunis Germanorum, vulgata Halæ* 1739. *in* 8. Hic enim ostendit, Alrunas fuisse fœminas sagas, oracula reddentes, rerumque variarum scientiam professas; imagines vero Alrunicas fuisse eas icunculas sacras, quarum ope illæ sagæ divinarint, & hominibus sive commodarint, sive incommodarint.

JOSEPHUS MARIA PLATINA in *Prælectionibus de Angelis, & Dæmonibus*, 4. *Bononiæ* 1740.

JACOBUS ODE *Dissertatione Theologica de natura Angelorum*, 4. *Trajecti* 1743. **

---

* Inter *Dissertationes in Librum Jobi, Londini* 1736. *emissas.*

** Hæc multis aliis præstat.

Augustinus Calmet in opere de *Apparitionibus Spirituum &c.*

Dissertatione præmissa Commentario in Lucam, de bonis, malisque Angelis.

Dissertatione de Dæmonibus corpora obsidentibus, & possidentibus, ibidem.

Dissertatione de veris, fictisque prodigiis, ac Dæmonum, & Angelorum in corpora potestate, ante Commentarium in Exodum.

Dissertatione de Excantatione serpentum, ante Commentarium in Psalmos.

Dissertatione de Simone Mago, ante Commentarium in Acta Apostolorum.

Joannes Ernestus Schubert in dem Beweise der Wirklichkeit guter und böser Engel aus der Vernunft.

Joannes Nicolaus Frobesius in *Mysterio de Dæmonibus, sive Geniis, atque Intelligentiis Philosophico, strictim, & fideliter revelato*, 4. *Helmstadii* 1748.

Dominus de Saint Andre *Tractatu Epistolari de Magia, ac Maleficis, Magis, Sagisque.*

Otto Nathanael Nicolai in Libro: *Diabolus diabolo pejor, de gradibus nequitiæ diabolicæ diversis*, 4. *Magdeburgi* 1750.

Comes SCIPIO MAFFÆI in: *Arte Magica Dileguata.* Quæ eſt *Epiſtola ad P. Caſtum Innocentium Anſaldi*, *ordinis Prædicatorum*, *vice ſecunda edita Veronæ* 1750. *

ANONYMI *Ars Magica adſerta.*

JOANNES RUPP *Prælectionum Theologicarum Tractatu II.*

CONSTANTINUS FRANCISCUS DE CAUZ *de Cultibus Magicis*, *eorumque perpetuo ad Eccleſiam*, *& Rempublicam habitu. in* 4. *Tomis duobus*, *Vindobonæ* 1771.

JORDANUS SIMON, qui ſub nomine ARDOINI UBBEDIENTIS DELL' OSA germanice ſcripſit *Vanitatem rei Magicæ.* **

PAULUS JOSEPHUS A RIEGGER *Diſſertatione de Magia.*

NICOLAUS DE LA CHAPELLE in *Relatione Hiſtoriarum ſtupendarum de dictis ita Pythonibus &c.* 1772.

ANTONIUS DE HAËN *de Magia.*

---

* Jungendum illi aliud opus *Arte Magica annichilata Libri tre con un Appendice in Verona* 1754: item quæ ſcripſit HIERONYMUS TARTAROTTI *de congreſſibus nocturnis Sagarum.*

** Eſt potius *verſio* libera *Artis Magicæ diſſolutæ*, & *Artis Magicæ deſtructæ*, de quibus ſupra in SCIPIONE MAFFÆI.

MARTINUS GERBERT *Parte II. Veteris Liturgiæ Alemannicæ Disquisitione VII. de Energumenis.*

GODOFREDUS MAYER in *Historia Diaboli, seu Commentatio de diaboli, malorumque spirituum existentia, statibus, judiciis, consiliis, potestate. Editionis II.* 8. *maj. Tubingæ* 1780.

His accedunt Collectiones.

Malleus Maleficarum, Lugduni 1669. *II. Volum. in* 4.

Superstitions Anciennes, & Modernes.

NICOLAI LENGLET DU FRESNOY *Recueil de Dissertations Anciennes, & Nouvelles sur les Apparitions, les Visions, & les Songes. II. Volum.*

EBERHARDI DAVIDIS HAUBERI *Bibliotheca Magica. III. Volum. in* 8.

Consiliarii cujusdam Aulici in Suevia liber cui titulus: Zauberbibliothek. 8. 1776. in qua recenset, & mordicus arripit octoginta, & unum libellos in causa GASSNERI emissos.

